


MANNAER  
BIBLIOTH

1111

1111

A  
33  
355



7. Ma. ...



0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16

Universitäts- und  
Landesbibliothek Bonn  
18  
1  
1977

~~Jan 7~~

~~4~~

~~6-820~~

~~4  
14-258~~

7. Ma. us. la. lex. p. il p. g.

BIBLIOTECA REAL CANADA	
Solo:	A
Estante:	33
Numero:	355


~~Library Universitäts  
KANTON  
18  
1  
1917~~

~~Jan 7~~

~~4~~

~~6-820~~

~~4  
14-788~~



R-27.667

FRANC. XAV. MANNHART  
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA  
DOMESTICA  
BONARUM ARTIUM  
AC ERUDITIONIS  
STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS  
ACCOMMODATUM.

TOMULUS X.

DE ARTE CRITICA ET DE RE  
ANTIQUARIA HEBRÆORUM



CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

---

AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
SUNTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.  
MDCCLXII.



R-27-007

1184413

BIBLIOTHECA

DOMESTICA

BOVARIUM ARTIUM

AC ERUDITIONIS

STUDIOSORUM USUI

SECUNDUM TRISTEM

IN ANTE CATHEDRA ET DE

ARTIBUS LIBERIS

DE

DE

DE

DE



EPITOME  
LIBRI XIII.  
DE  
ARTE CRITICA.

---

CAPUT I.  
NATURA ET INDO-  
LES CRITICÆ.

§. I.

*Causa & finis hujus artis.*

I.

*Origo artium & scientiarum e judi-  
cio præstantium virorum: hoc au-  
tem oportet certis legibus circumscribe-*

## *Epitome Libri XIII.*

*re. Inde n̄ata est Critica, quæ versatur circa dicta & facta. Ostenditur Criticam esse veram artem.*

### *II.*

*Causa duplex artem Criticam instituendi : quorundam Scriptorum inscitia, aliorum temeritas. Finis duplex, scilicet quædam emendare, quædam vero illustrare. Critici munus proprium.*

### *§. II.*

*Materia & Forma Critices.*

### *III.*

*Materia Critices amplissima est : artes & scientias omnes ingreditur : Grammaticam, Poesin, Rhetoricam, Historiam, Philosophiam, Medicinam, Jurisprudentiam, Theologiam, &c.*

### *IV.*

*Epitome Libri XIII.*

IV.

*Forma Criticæ sunt leges & regulæ, quibus rectæ judicandi facultas instruitur. Quinam sint genuini Critici, qui Pseudo-Critici. Veterum Criticorum conventus celebrati. An Recentiores Veteribus præferendi? Æstimanda virtus ingenii, stili, ac methodi ad veterem Criticam.*

§. III.

*Principia Criticæ Artis.*

V.

*Primum est auctoritas Veterum Scriptorum: secundum conjectura, hæc in defectum prioris adhibetur. Auctoritas est principium satis certum; conjectura lubricum. Gemine dotes Criticæ tum a natura, tum ab arte veniunt. Nullus Scriptorum a crisi est immunis.*

*Epitome Libri XIII.*

*CAPUT II.*

*HISTORIA CRITICÆ.*

*§. I.*

*Critica circa artes liberales,  
& literas mansuetiores.*

*VI.*

*Critica quædam, seu recte judicandi  
facultas omni tempore, & apud  
omnes nationes in usu fuit. Primi  
fuerunt apud Veteres Grammatici, qui  
hanc artem exercebant. Inventionem  
hujus artis aliqui tribuunt Aristoteli.  
Post hunc multi celebres Critici fuerunt  
apud Græcos & Romanos.*

*VII.*

*Ars Critica inclinante Occidentis  
Imperio cum reliquis artibus dilapsa  
est. Misera facies illius temporis tum  
circa literas, tum circa libros & Codi-  
ces.*

## *Epitome Libri XIII.*

*ces. Ignorantia & fraudes Librario-  
rum. Credulitas nimia locum figmen-  
tis plurimis præbuit.*

### VIII.

*Critica instaurata in literis huma-  
nioribus a Viris illustribus circa secu-  
lum XIII. & XIV. Occasio hujus  
instaurationis duplex: Constantinopolis  
capta, & typographia inventa. In-  
crementum sumpsit seculo XV. & se-  
quentibus. Enumerantur præcipui Cri-  
tici.*

### §. II.

*Critica circa Scientias  
sublimiores.*

### IX.

*Nascente Christi Ecclesia Critice  
fuit penes Patres, qui sacram quan-  
dam Criticam circa Biblia, & fidei mo-  
rumque doctrinam professi sunt.*

*Epitome Libri XIII.*

X.

*Seculo præcipue XVI. & XVII. maximi Viri prodierunt in Italia, Gallia, Germania, & Belgio, qui Ecclesiasticam historiam studio suo Critico plurimum illustrarunt.*

CAPUT III.

OECONOMIA CRITICÆ  
ARTIS.

§. I.

*Critica Studium circa Codices,  
Manuscripta, & Artes liberales.*

XI.

*Quid sit Oeconomia Critica, explicatur. Errores innumeri Librario-*  
rio-

## *Epitome Libri XIII.*

*riorum incuria & inscitia in Codices, etiam sacros, & MSSa. irrepsertunt. Multa quoque opera supposititia circumferebantur. Huic malo medelam adtulit Critice.*

## XII.

*Vicissitudines artium liberalium in Græcia, in Republica Romana, & in reliqua Europa. Misera facies Grammaticæ, Poeseos, Rhetoricæ, ævo medio, Criticorum studium in expurgandis & instaurandis his artibus. Nobilissimum opus 50. voluminibus constans sub auspiciis Ludovici XIV. ad usum Delphini describitur, cum ejus Commentatoribus. Historia Glossariorum & Dictionariorum mediæ ævi ac recentioris, inter quæ eminent Calepinum.*

§. II.



*Epitome Libri XIII.*

§. II.

*Critica Studium circa Philologiam, & Historiam sacram & profanam.*

XIII.

*Philosophia Veterum simplex & recta. Multa quæ nunc vigent, jam tradiderunt olim Democritus, Epicurus, Philolaus, Archimedes, Aristoteles. Corrupta fuit subtilitatibus & altercationibus: restituta inventis machinis, & factis quam plurimis experimentis. Chronologia quoque & Geographia a Criticis emendata fuit. Res Numaria & Diplomatica excolta: Inscriptionum antiquarum thesaurus ab iisdem collectus. Grande præsidium Critices sunt Ephemerides Sapientum, Acta Eruditorum, Monumenta Trevoltiensia, &c.*

XIV.

*Unde tot errores in historiam irreperint, ostenditur. Errant tum qui*

## *Epitome Libri XIII.*

*qui nimium creduli sunt, tum qui omnino increduli. Historici Ecclesiastici Antiquiores, & Recentiores; utrorumque characteres, & notæ.*

### *§. III.*

*Criticæ Studium circa Theologiam & Concilia.*

### *XV.*

*Theologiæ tres epochæ. Prima, Theologia Patrum: secunda, Theologia Scholasticarum: tertia Theologia Scholasticorum. Theologiæ ad hodiernum cultum perductæ multum profuit Critica. Scriptores Theologiæ Dogmaticæ.*

### *XVI.*

*Plurimum laboravit Critica in editionibus sinceris, simul & splendidis Conciliorum qua Generalium qua singularium. Traditur notitia harum editionum diversis temporibus, præsertim*

*Epitome Libri XIII.*

*tim novissimæ , quam parat Antonius Zatta.*

§. IV.

*Criticæ Studium circa Martyrum & Sanctorum Acta, nec non Patrum & Scripturæ Codices.*

XVII.

*Acta Martyrum & Sanctorum non solum ab hæreticis, sed etiam a Catholicis male credulis fuerunt multoties corrupta. Diocletiani jussu S. Scriptura, Codices & Acta Christianorum combusta fuerunt. Eusebius utcunque restituit hanc cladem: plurimum vero Critica ævi nostri. Descriptio magni Operis Acta Sanctorum Auctore Bolando.*

XVIII.

*A Criticis Patrum opera fuerunt partim emendata, partim in lucem protrah-*

*Epitome Libri XIII.*

*tracta : de magna & maxima Bibliotheca Patrum. Idem curarunt accuratas & sumtuosas editiones S. Scripturæ. De Bibliis Polyglottis. De Commentariis præclarissimis in S. Scripturam, præsertim Cornelii a Lapide, & Augustini Calmet.*

*CAPUT IV.*

*OECONOMIÆ ARTIS  
CRITICÆ.*

*CONTINUATIO.*

*§. I.*

*Regulæ Criticæ circa illius  
Principia.*

*XIX.*

*Necessitas regularum Criticarum ostenditur. Præter duo Criticæ prin-*

*Epitome Libri XIII.*

*principia, auctoritatem & conjecturam, alia duo statuenda sunt: nempe Traditio & Consuetudo sive usus universalis.*

*XX.*

*Sequuntur regulæ de Auctorum testimonio, de Conjectura: de Traditione, ac Consuetudine.*

*§. II.*

*Regulæ Criticæ circa artes liberales.*

*XXI.*

*Regulæ de Manuscriptis & Antiquitate Codicum: de Grammatica seu lingua latina: de Poesi: de Rhetoricæ.*

*§. II.*

*Epitome Libri XIII.*

§. III.

*Regulæ Criticæ circa Philologiam, & Historiam sacram & profanam.*

XXII.

*Regulæ de re numaria : de diplomatica : de Philosophia : de Historia sacra & profana.*

§. IV.

*Regulæ Criticæ circa Theologiam, Patres, & Concilia.*

XXIII.

*Regulæ de Theologia discenda docendaque : de legendis & intelligendis Patribus : de Conciliis, eorumque Canonibus & Decretis.*

§. V.

*Epitome Libri XIII.*

§. V.

*Regula Critica de Actis San-  
ctorum, Traditionibus, &  
S. Scriptura.*

XXIV.


*Regulae de Actis Martyrum alio-  
rumque Sanctorum ad fidem iis conci-  
liandam: de Traditionibus ad eas in-  
ternoscendas: de S. Scriptura ejusque  
interpretatione.*

*Appendix ad Regulas Criticas.*

*Regulae de scribendis libris, & fe-  
renda de illis sententia.*

XXV.

*Ufus harum regularum: difficultas  
statuendi certas regulas: saepe non ob-  
servantur ab iis ipsis, qui eas praes-  
cribunt.*



# LIBER XIII.

DE

## ARTE CRITICA.

---

### CAPUT I.

#### NATURA ET INDOLES CRITICÆ.

##### §. I.

*Causa & Finis hujus artis.*

I.

**E**a est judicii, quod auctor naturæ Deus hominibus indidit, vis & præstantia, ut non solum de omnibus ad quæ ipsi accessus patet, rectæ rationis ductu sententiam ferre possit, verum etiam cunctarum artium atque scientiarum parens esse merito dici queat.

Ha-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XIII.





Harum enim origo inde fuit, quod homines iudicio sano pollentes in quavis earum, quid recte aut perperam dictum factumve fuit, diligenter observarint, taciteque secum intra mentis penetralia primum expenderint; tum vero velut foras egressi ex eiusmodi observationibus certas leges & sanctiones condiderint, quibus disciplinæ cujusvis ratio & ambitus contineretur. Quod quum ita sit, dubium esse non potest, artium & scientiarum originem, ut dixi, præstantium Virorum iudicio deberi. Ut autem hoc ipsum iudicium, unde reliqua pendent, non esset vagum, incertum, & fallax, certis & istud regulis ac præceptis coerendum esse visum fuit, idque eo amplius, quò facilius ejusdem error innumeros in cæteris errores quasi funestam appendicem fatali quadam necessitate post se tracturus foret. Atque ex his palam fit, recte iudicandi (uti bene cogitandi) facultatem esse artem aliquam, ut cum Philosophis loquar, quasi *reflexam* super reliquas artes atque scientias, quam cum Græcis Criticam adpellamus ἀπὸ τῆς κριτικῆς, seu a iudicando. Quapropter maximopere falluntur illi, qui Criticam existimant esse velut mare liberum, in quo cui-

cuius, & quovis navigare, ac commercium exercere nullis limitibus circumscriptum impune liceat, ac tribunal quoddam omnibus commune, in quo quemlibet in jus vocare, absolvere, vel condemnare pro arbitrio suo concessum sit. Hæc vaga & exlex Criticæ tantum abest, ut artis nomen mereatur, ut potius pestis & perniciæ reipublicæ literariæ merito nuncupanda habendaque sit, non secus ac quam dicunt aliqui, ars furandi. Est autem genuina & vera, de qua loquor, Criticæ facultas ferendi prudens iudicium de dictis & factis aliorum: de dictis quidem, id est, scriptis Auctorum, ut horum sensus, stilus, ingenium, totaque indoles patefiat: de factis vero historicis, seu profana illa sint seu sacra, eorumque integritate vel vitiò, ut quæ certa, vel sublesta, vel nullius fidei sint, intelligatur. Artem hanc esse, & quidem inter liberales liberalissimam, nemo facile inficias ibit, qui omnibus, quæ ad artem requiruntur, dotibus instructam esse curatius expendit. Habet suam definitionem, quam nunc primum exposui: habet divisionem in *naturalem* & *artificialem*, in *profanam* & *ecclesiasticam*, in *literariam* & *historicam*: habet causas, quas Philosophi vocant *efficientem*, *finalem*;

*lem, materialem, & formalem*: habet sua principia, auctoritatem scilicet, conjecturam, & consuetudinem, e quibus conclusiones suas deducit: habet denique regulas, quarum ope dogmata sua & efata moderatur.

## II.

De his ut ordine agatur, artisque hujus nobilissimæ natura & indoles clarius perspiciatur, de causis primo loco differere breviter constitui; & quidem ad *Efficientem* quod adinet, non una sed multiplex occasio fuit, quæ Viris doctis necessitatem imposuit ad Critices disciplinam formandam colendamque. In primis barbaries illa, quæ post aurea argenteaque secula in linguas, scripturas, & libros sensim se immiscuit, post ænea vero & ferrea pleno alveo sese infudit. Successit medio potissimum ævo quorundam mala fides, qua turpis lucri gratia passim fabulas & commenta pro veris factis atque historiis ore ac calamo vendiderunt: aliorum vero nimium bona, qua sine ulteriore indagine, præmissoque examine ejusmodi figmenta in scripta & libros suos transtulere: aliquorum etiam temeritas, qui puros fontes infecerunt, & sinceris narrationibus somnia sua libe-

raliter adspergentes totam pene fidem abstulerunt, & posteritatem quid crederet, quidve inficiaretur, incertam reliquerunt. Demum posterioribus seculis palam grassari cœpit partim hæreticorum malitia atque perfidia, qui nunc sacras Scripturas & SS. Patres corrumpere, truncare, in sensum alienum detorquere, nunc traditiones antiquissimas rejicere, nunc prodigia omnia eliminare, & Ecclesiasticam disciplinam susdeque vertere non sunt veriti: partim male feriatorum quorundam Catholicorum audacia & insolentia, qui ut eruditionis famam captarent, & inquieto ingenio suo satisfacerent, levibus nixi conjecturis probatissimos quosque ritus & mores Ecclesiæ, antiqua historiæ sacræ monumenta, quæ sua se vetustate fatis hucusque commendabant, in dubium vocare, aut omnino a possessione dejicere conati sunt. Hæc omnia, mala sane gravissima, doctis Viris ut dixi, necessitatem Critices imponere, ut ejus ope tot monstra profligarent.

Ad causam *finalem* accedo. Honestissimum certe finem genuina Critica sibi præfixum habet, eumque geminum. Primus est, ut si quid detrimenti passa est

respublica literaria tum sacra tum profana, illud emendet & resarciat. Hoc liberaliter præstat abstergendo fuliginem barbaræ dictionis, expurgando codices ab innumeris mendis, chronologiæ ac geographiæ vindicando temporum locorumque seriem, plurimum a scriptoribus depravatam, expungendo fabulas & commenta e regno historico, & authographa ab apocryphis quam diligentissime secernendo. Fuit enim ager reipublicæ literariæ primis sæculis velut optimo frumento dives, sed brevi pene totus loliiis & zizaniis oppletus, a quibus immenso quidem labore, sed emolumento longe maximo postremis hisce temporibus non nisi ab arte Critica purgandus erat. Alter finis est, ut vetustatis tenebras dispellat, & lucem affundat clarissimam, id quod facit illustrando notis obscura Veterum dicta & scripta, ignotos hætenus scriptores, eorumque opera inedita e bibliothecarum angulis, in quibus per plura sæcula latebant, eruendo, describendo Auctorum patriam, ingenium, lucubrationes & characteres, antiqua monumenta vel obliterated, vel truncata integritati suæ ac pristino splendori restituendo, deperditas artes quasi amissas regiones & insulas detegendo, subministrando nobis di-

dilucidæ ideas circa tempora, loca, personas, facta & opera priscorum hominum: verbo, incultas literaturæ terras ad summam, quam ævo nostro læti in tuemur, fœcunditatem & abundantiam perducendo: ut si quid in Veterum scriptis torvum, vel ad mores priscos minus lucidum, aut ævo corruptum deprehendat, commentariis illustret: si quid ignorantia vel malitia depravatum inveniat, ut in eruditionis & veritatis semitam reducat; venerandæ antiquitatis auctoritatem atque doctrinam non evertendo, sed nostris potius moribus & ingeniis accomodando. Ut paucis omnia complectar, probi Critici est, vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, defunctis vitam, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, & naturæ suæ omnia.

§. II.

*Materia & Forma Critices.*

III.

Quid de causa dicam, quam *materialem* vocant? Ea sane amplissima est, nec alios, quam ipse Mundus literarius limites habet. In Grammatica in

orthographiam, & vocum verborumque potestatem Critica inquit, recte scribendi ac pronunciandi normam statuit, latinatam ad auream illam argenteamque ætatem æstimat & reducit. In Poesi monstrat, quantopere primos limpidosque fontes castalios infecerit posteritas luteis limosisque carminibus, excitare studet æstrum poeticum, priscis Vatibus adeo familiare, quod per tot secula pene elanguit; flores & uvas antiquorum Poetarum resectis loliis ac pampinis colligit, & ignavum vulgus ab Helicone tanquam fucos ab alvearibus arcet. In Rhetorica verborum ac figurarum luxuriam, & inflatos periodorum ambitus e medio tollit, sententiarum & argumentorum vim ac robur demonstrat, affectus loco, tempori, ac personæ aptos, eosque vehementes ciere docet, totamque prisci eloquii majestatem explicat. In historia res gestas, quæ a Scriptoribus in medium adferuntur, diligentissime examinat, a quibus narrentur, e quo fonte fuerint haustæ, quo tempore, quo loco contigerint: an scriptores fuerint synchroni, an inter se conveniant, an quæ factum circumstant, sint verosimilia, &c. e quibus omnibus fert de bona, vel mala, vel dubia fide iudicium, figmenta rejicit, & veritati

tati testimonium perhibet. In Philosophia inanes ac jejunas quæstiones, atque subtiles aranearum, quæ in cerebro nascuntur, telas eliminat, clamores & altercationes de lana caprina proscribit: contra arcanos naturæ thesauros effodere, occultas vires adhibitis machinis scrutari, elementorum aeris maxime ac ignis, & siderum mira phænomena detegere fatagit, nec non experimentorum simul ac ratiocinationum ope (quæ ambo fœdere tam firmo quam necessario conjungit) Universi hujus structuram & pulchritudinem ostendit. In arte Medica aphorismorum Veterum superstitione, ac sectarum plus inter se, quam pro civium salute pugnantium multitudine sublata, vanisque prognosticis valere jussis, in morborum causas & mali radices diligentius inquirere, herbarum vires curiosius explorare, & humani corporis partes anatomix, reliquorum vero corporum chymix auxilio studiosius cognoscere jubet, utpote in quibus sobria medendi ars tota consistit. In Jure legum dubiarum ac obscurarum turbam tumultuantem e tribunalibus foras ejicit, leguleiorum ora compescit, litium ambages abscindit, & juris naturalis præcipue, atque divini principia vera certa que in-



dagat, atque in sententia ferenda æqui  
 justique rationem præ omnibus ante ocu-  
 los habendam docet. In Theologia sub-  
 tilitatum, & quas vocant *speculationum*  
*numiarum* pertasa S. Scripturæ, Conci-  
 liorum, ac Patrum dogmata altius rina-  
 ri, his fidei morumque doctrinam super-  
 struere, & ex ecclesiastica historia secu-  
 lorum usu perpetuo stabilire contendit.  
 Ut nihil dicam, quas quantasque in re  
 numaria, diplomatica, antiquaria felices  
 progressionis hoc ævo fecerit Critica, ut  
 non jam a longe, & quasi per nebulam  
 intueri venerandam vetustatem cogamur,  
 sed cum priscis hominibus sapientissimis  
 ac fortissimis amicitiam colere, erudite  
 conversari, ac pene inter illos & cum  
 illis vivere videamur.

## IV.

Neque causa *Formali* destituitur.  
 Formam enim sanæ probatissimæque di-  
 sciplinæ eidem tribuunt leges ac regu-  
 læ, quibus hæc judicandi facultas cir-  
 cumscribitur, quasque postea suo loco  
 palam facere decrevi. Profecto his vel  
 maxime opus habet ars ista, ne inter  
 tot hominum judicia, quot capita, vel  
 nimis evagetur, vel extra orbitam saltet,  
 vel omnino in scopulos impacta naufrage-

getur. Opus est inquam regulis, quas post longum ac indefessum studium, post excussa omnia rei literariæ scrinia, post insignem uberemque notitiam ex optimis auctoribus comparatam peritissimi quique præscribunt, ut aurum a scoria, & vitrum a gemmis in quovis disciplinarum genere discerni queat. His instructa Critice splendidam sane ac incomparabilis pulchritudinis formam induit, seu privatos intra parietes cum amicis sermo eruditus inferatur, seu publico in confessu doctorum Virorum de themate quodam literario pronuncian- dum sit.

Mos iste jam olim apud Veteres in usu erat, ut ex Ciceronis Oratore, Bruto, & Tusculanis Quæstionibus patet: sed inter paucos tum stetit negotium hoc, Viros tamen omni eruditionis genere conspicuos, quibus an æquiparandi sint nostrorum temporum Critici in tanta eorum frequentia, non ausim spondere. Antiquis enim illis præsto fuerunt multa, quæ a nobis desiderantur, subsidia. Habebant in manibus, & ante oculos complurium optimorum scriptorum opera, quæ nobis temporum injuria subtraxit, vel solum fragmenta quædam

dam ex iis reliquit : consulere poterant non paucos primorum & sincerioris ævi historicorum, Ægyptios, Tyrios, Babylo-  
 nios : exquirere sententias & oracula Sophorum suorum, a quibus prima artium & scientiarum fundamenta jacta fuisse novimus. Erat tunc quasi primo in flore ac succo nativo vis ratiocinandi, idiomatis integritas, elocutionis gratia, & adfectionum temperies, quæ omnia non nisi per temporum ambages, & post varias mutationes & clades bene decimata ad nos pervenerunt. Fateri necessum est, Veterum opera purissimos esse fontes, e quibus ea primum nobis haurienda sunt, queis opus est ad politum judicium & rectam rerum æstimationem comparandam, atque ad verum ac falsum tum in naturæ, tum in artium & scientiarum operibus internoscendum. Atque hinc in ponderanda æstimandaque ingeniorum, stili, ac methodi virtute non novis sed antiquis uti solemus stateris, explorantes num ad vetustatis laudem accedat propius, vel recedat. Sunt equidem quædam hac in re priscis & junioribus communia, ea scilicet, quæ ab ingenio pendunt, quemadmodum intelligentia, perspicacia, judicium, comparatio, & artificium : neque enim omnibus seculis defue-

runt homines, eadem cum primis metalli bonitate procreati : tamen si hæc æqua ratione in utrisque suspicimus, primas Veteribus concedere debemus, utpote quas ipsis tanto intervallo ante nos natis natura ipsa detulisse videtur.

## §. III.

*Principia Criticæ artis.*

## V.

Jam vero principia, quibus Critice nititur, & intra quorum cardines volvitur, duo sunt (tertium addemus suo loco) videlicet auctoritas & conjectura. Auctoritate utuntur Critici, dum e Scriptorum libris, eorumque sententiis in medium productis ostendunt, hæc bene vel perperam dici, aut fieri; hunc fuisse prisorum morem, hac methodo, his legibus istam vel illam artem atque scientiam eos tractasse, ipsorum testimonio rem aut factum aliquod ita vel secus contigisse, &c. Nihil enim potentius est ad confirmandam doctrinam, vel ad veritatem detegendam auctoritate Scriptorum, quibus omnis ætas hucusque assurrexit, quosque in una vel pluribus disciplinis principes aut magistros veneratur,

tur, vel qui probatissimæ fidei sunt in factis enarrandis, præcipue si synchroni fuerint, eodem scilicet tempore, vel vicinissimo viventes.

Conjecturas autem adhibere solent prima via deficiente, vel certe non sufficiente, dum ex illorum scriptis & sententiis mentem & sensum circa rem quampiam legitime deducunt, aut comparatis inter se diversorum testimoniis rem aliter habere se non posse monstrant, aut, quum de factis, quæ Veteres tradidere, disputatur, ea hoc vel illo modo verosimiliter contigisse contendunt, quamvis alio re ipsa contingere potuerint. Hæ duæ semitæ sunt, quæ in vastissimo hoc studio incedunt Critici ad veritatem seu demonstrandam seu eruendam; quamvis fateri oporteat, primam esse tutiorem, periculosiorem alteram, neutram omnino certam. *Bivium enim, inquit Justus Lipsius, (a) ad corrigendum libri & conjectura: prima vix satis certa & tuta, lubrica altera.* Nam quæ Scribunt Auctores, non semper veritati consonant, (quis enim vadem se constituet, quod nunquam fallantur) nec conjecturæ, quæ a veris etiam certisque testimoniis prodeunt,

(a) In Satyr. Menipp.


deunt, vel eruuntur, extra dubitationis & falsitatis aleam positæ sunt. Quare utrumque hoc principium, ut eo minus a via veritatis aberret, regulis probe muniendum censuerunt præstantissimi quique hac in arte Magistri, in quibus observandis, ac rite adhibendis magna sane artis hujus pars consistit.

Porro sicuti duo sunt Criticæ principia, ita etiam duæ sunt illius dotes, nimirum ea, quæ naturæ beneficio, & illa, quæ artis ope comparatur. Natura artem præveniat necesse est, tribuendo memoriam fidelissimam eorum, quæ lecta sunt, (debet autem lectio esse multiplex & assidua) eorum inquam quæ lecta fuerunt, custodem: tum quoque subtilem mentis aciem, quæ ad intima artium ac scientiarum adyta facile ac celeriter penetrare valeat, atque discernere inter merces probas & vitiosas: denique judicium præstans & corrumpi nescium, quod in ferenda sententia sepositis quibuscunque opinionibus præjudicatis, aut sinistris animi adfectionibus nonnisi rectæ sanæque rationis ductum ubique sequatur. Hæc quasi tributum sunt, quod natura pendere debet Reginæ artium Criticæ, sine quo nulli in hoc regno civi esse licet.

Sed

Sed artificium quoque ad naturam accedat oportet, quod fit statuendo certas leges, quibus criterium, quod vocant, instruat, expoliatur, & ad justique perfectique judicii culmen perducatur. Contingit enim hoc in negotio, quod passim in aliis fieri videmus. Est qui ædificium egregie structum intuens de illius pulchritudine ac magnificentia sine ullo veritatis dispendio pronunciat, naturæ duntaxat magisterio imbutus, etsi architecturæ leges, & elegantis fabricæ notas ignoret: verum alius Architectonicæ peritus præter naturam artem quoque in consilium vocat, idem ædificium æstimat, commendatque ob partium symmetriam, proportionem, soliditatem, ordinem, aliasque dotes ædificio proprias. Ita sunt multi, qui sermonis vel voluminis elegantiam tacito quodam animi sensu percipiunt, sed e quo fonte ista oriatur, explicare nequeunt, dum Criticus e suis illam regulis metitur, justamque de illa sententiam profert. Cavendum tamen semper, ut judicium hoc suum intra limites sobrietatis contineat, ne quum in aliorum opera crisin inclementem exercere satagit, ipse severiorem experiundi periculo sese exponat, a quo vix quisquam insignium etiam Criticorum immu-

muni s esse solet, dicente Tullio, (b) *Sapientum judicium aut reprehensionem vitare nullo modo potest, nisi qui nihil omnino scribit.*



CAPUT II.

HISTORIA CRITICÆ.

§. I.

*Critica circa artes liberales, Et literas mansuetiores.*

VI.

Criticæ natales vetustissimos esse, eamque primis hominibus veluti congenitam fuisse negare vix possumus, si non maximo naturæ dono, scilicet recte judicandi facultate, contra fas omne illos spoliare velimus: eratque hæc ipsis eo magis necessaria, quo magis recentes hi mundi habitatores tot rerum, operumque mirabilium, quæ supra, circum, & infra se stupentes intuebantur, notitiam

(b) *Lib. 2. Tuscul. Quæst.*



tiam & cognitionem haud aliter quam ratiocinando, comparando, judicandoque consequi potuisse videantur, & libris, & cathedris, & regulis ac methodo certa destituti. Neque ingenitas tot tantarumque rerum ideas tanquam patrimonium in lucem secum adtulisse, aut a Deo revelatas accepisse illas credendum est, sed uti panem sudore vultus sui, ita artes & scientias labore ingenii atque iudicii comparare sibi debebant, dicente Ecclesiaste de filiis hominum: (c) *Deus mundum tradidit disputationibus eorum.* Certe nulla ætas, nulla natio fuit experta omnis Criticæ, ita ut non immerito nobilis Scriptor quidam pronunciare non dubitaverit: *Ingenium Criticum omnium seculorum & populorum ingenium esse.* Verum nimis late patentes sunt hi natales & fines Criticæ: angustior est, quam quærimus origo. Primi igitur quod scimus, Grammatici fuerunt, qui apud Veteres Criticorum munus obibant, & quasi publica potestate illud exercebant. Nam hi, ut apud Quintilianum legimus, ampla magnaque eruditione per omnia scriptorum genera versati, non dicta solum, sed etiam integros libros censebant: essentne, cujus inscriberentur

Au-

(c) Cap. 3. v. II.

Auctoris: aut si ejus non essent, ex phra-  
si & filo orationis, ex differendi ratione  
in parentem literariæ prolis inquisivere,  
ac cuinam tribuendus esset hic vel ille  
ingenii partus, magna cum cura, majo-  
reque fide definiebant, quos propterea  
adpellabant *Grammaticos accuratiores*,  
*ἀκριβεστέρους γραμματικῶς*. Primum qui-  
dem Poeseos operibus ad examen vocan-  
dis, vel commentario aliquo illustrandis  
operam navabant, quemadmodum Ari-  
starchus & Aristophanes, qui tantum si-  
bi potestatis in hoc genere arrogabant,  
ut & Homeri versus aliquos emenda-  
rent. Ennium quoque celebrat Hora-  
tius, utpote a Criticis laudatum & ad-  
probatum: (d)

*Ennius & sapiens, & fortis, & al-  
ter Homerus,  
Ut Critici dicunt.*

Postmodum vero ad omnem pene litera-  
turam, ut dixi, Criticæ suæ regulam ad-  
plicuere, quamvis aliud tantæ artis in-  
strumentum non adtulerint, quam limam  
judicii, assidua lectione, profunda medi-  
tatione, ac diligenti observatione excul-  
ti.

(d) *Epist. Lib. 4.*

ti. Non desunt, qui Aristotelem magnæ hujus artis parentem fuisse produnt, inter quos Dio a patria Prusæus, ab eloquentia Chrysostomus dictus, qui de hoc Philosopho differens scribit: (e) *Aristoteles, a quo ajunt Criticam & Grammaticam cœpisse.* Et re ipsa severam criticen exercuit in Philosophos tempore suum ævum antegressos, quos plerumque merito carpit, in quo laudem meretur; interdum tamen non citra calumniam, in quo apud alios scriptores vapulat. Quippe doctrinam, quam adtulerunt illi reconditis sub metaphoris, in alienam omnino opinionem detorsisse arguitur, uti de ideis & motu contra Platonem, de *unitate* entium contra Parmenidem; videlicet, ut populari consensu eos premeret. Qua ex re etiam profuxisse creditur obscurum illud dicendi genus hujus Philosophi, dum timido velut pede in suis sententiis declarandis ingreditur, ne & ipse a posterioribus carpi posset, reputans secum notam parcemiam: *Ab alio expectes, alteri quod feceris.* Licet autem Aristoteles forte primus non fuerit, qui criticam exercuit, & ad artis fastigium promovit, satis tamen pro comperto est, ejus ævo illam

plu-

(e) *Orat. 3. de Homero.*

plurimum & viguisse, & magno in pretio habitam fuisse. Maximum vero, si antiquiora tempora spectemus, incrementum cœpit Ciceronis avo, quo, vel non ita multo post, excellentes Critici in theatrum prodierunt. Inter hos erat Aristarchus Samosatenus, qui Alexandria degens Pindari, Arati, aliorumque Poetarum opera, quin & Homeri Iliadem & Odyssæam novem libris censuræ subjecit, acriori forte quam oportuisset. Hinc qui alienis scriptis emendandis corrigendisque calamus addicunt, Aristarchi vocantur; & in proverbium abiit: *Aristarchi obeliscis jugulare librum*, quod est, stilo nimium severo aliquem censere. Erat quoque M. Terentius Varro, quem Romanorum Virum eruditissimum Quintilianus, (f) D. vero Augustinus litterarum doctissimum adpellat: peritissimus fuit linguæ latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum græcarum nostrarumque, inquit Fabius, plus tamen scientiæ collaturus, quam eloquentiæ. Scripsit librum de lingua latina, quem Ciceroni dicavit, item de re rustica, & annales celebrium Virorum, Romanarumque Familiarum, tanta eruditionis ubertate ac judicii præ-

(f) Lib. 10.

stantia, ut qui amplissimum totius literaturæ patrimonium possident, sæculi sui ac regionis suæ Varrones nuncupentur. Erat non minus Dionysius Halicarnasseus, qui finitis civilibus bellis & Augusto Jani templum claudente Romam venit, ubi annos viginti duos commoratus scripta Historica, Rhetorica & Critica, atque originum sive antiquitatum Romanarum viginti libros in lucem dedit. Celebratur tanquam dux cunctorum veteris ævi Criticorum, & posterioris hac in arte Magister. Erat denique, ut minus claros præteream, alius Dionysius Cassius Longinus, Sophista simul & Criticus insignis. Hic sæculo III. inclaruit, ejusque de scriptis alienis judicia non aliter ac Principum oracula excipiebantur: reliquit posteritati velut eruditionis suæ pignora *artem rhetoricam, opus de ideis, & dubitationes Homericas.*

## VII.

Ita res agebatur felicibus illis temporibus, ubi & bonarum literarum ingens pretium, & earum semper magis excolendarum summum studium regnabat. Verum Imperio Occidentis in casum inclinante etiam ars Critica cum reliquis in pejus ruere cœpit, immo fere tota  
ex-

extingui. Et quidni? exterarum nationum barbara colluvies, populorum a Septentrione locustarum instar advolantium incurfiones, diuturna bella, incendia, & rapinæ totam pene rempublicam literariam everterunt. Nam direptis bibliothecis magna librorum inopia, & dilapsis Viris doctis, artiumque Magistris grandis ignorantia, ita ut censoribus libri, & libris censores deessent: immo nil nisi armis circum circa strepentibus triste altumque Musarum silentium ubique regnabat. Nec tam celeri passu, quo venerat, tempestas hæc transit. Vix sex & plurium seculorum impendio illata literis clades resarciri potuit. Potissima causa fuit, quod vel sponte sua Grammatici seu Critici suo se magistratu abdicaverint, vel qui sublimiores scientias tunc professi fuerunt, suo illos contubernio expulerint, non secus ac cornices columbam, ut fabula tradit. Idcirco factum, ut nullo censore præsentem non solum voces, phrasas, & sensa inepta, inculta, sordida & barbara cum bonis artibus sese commiscerent, verum etiam adulterini foetus complures in lucem prodirent non sine gravissima veterum & clarissimorum scriptorum familiæ illata injuria. Passim libri supposititii

circumferebantur, & adtributa sunt scripta Aristoteli, Platoni, Cypriano, Hieronymo, Augustino, Boetio, Ciceroni, Senecæ, quæ ipsis nunquam ne quidem per somnium in mentem venerant. Primo statim seculo Christiano plures libros Petri Apostoli nomine inscriptos fuisse memorat D. Hieronymus: integra postmodum apocryphorum silva succrevit, ad quam excidendam plura secula posteriora, & in his sagacissimi quique Critici vix suffecerunt. Juvat heic temporum illorum tristem miseramque faciem breviter in memoriam revocare. Fuerunt, qui ad conciliandam libro alicui auctoritatem, magni cujusdam scriptoris nomen in ejus fronte grandibus literis collocarunt: Alii videntes sat multos olim libros anonymos in lucem datos fuisse latente post tabulam Apelle, eos huic vel illi temere adjudicabant, levissima quadam conjectura ad id adducti: Nonnulli quibus cura describendi deman data fuit, lecto perperam titulo vel illius, cui liber inscriptus erat, vel alterius, qui primus menti occurrebat, tanquam Auctoris nomen præfixere. Præterea iniquissima erat eo tempore Codicum conditio: quidam casu aliquo magnam cladem passi sunt, quemadmodum

Ari-

Aristotelis & Theophrasti diu latentes a tineis & blattis exesi fuerunt reperti; & quod pessimum, fuerunt autographa, e quibus alios Codices describere necessum erat: in aliis pulvere ac lqualore diuturni carceris non pauca sunt obscurata, & literæ vetustate exoleverunt; quare in exemplis eorum magni ubique hiatus etiam hodie reperiuntur, vel nonnisi fragmenta supersunt. Majorem adhuc labem intulere Librarii (hominum genus plerumque imperitum) parum solliciti, quid & quomodo scriberent, plus vero, unde vitam sustentarent. Hinc quidam quando characteres aut voces ipsis ignotæ occurrebant, literas & verba ita confundebant, & ut ajunt, quadrata rotundis miscebant, ut contextus longa divinatione sit investigandus: Alii autem & probe scripta, quum non intelligerent, suo sensui ea ineptissime accommodabant, & auctorem optimis dotibus energiæ ac gratiæ exspoliatum reliquere. Hoc erat, de quo jam suo tempore conquestus est Tullius, nimirum græcos, quam latinos libros emendatiores esse, quoniam his posterioribus describendis homines parum linguam latinam docti operam navarent. Accessit huic malo aliud non minus, videlicet credulitas hominum etiam satis docto-



rum, ut nihil dicam de aliis, qui obviis quibusque fabulis fidem habuerunt: de illa enim credulitate loquor, de qua Cicero (g) inquit, quod sit *error magis quam culpa*; & tamen in *optimi cujusque mentem facile irrepit*. Igitur isti, licet acie ingenii non destituerentur, ab aliorum tamen sensu & judicio discedere noluerunt, vel errandi timore perculsi, vel labore ulterioris indaginis absterriti. Inde factum, ut errores, quos priini tradiderunt, iique graves, maxime in Actis Sanctorum, & Conciliorum, in Historia sacra & profana, in Disciplina & ritibus Ecclesiasticis, in Operibus SS. Patrum &c. ut inquam errores isti quasi jure hæreditario ad posteros sint devoluti, & quo latius propagabantur, magis magisque confirmati. Atque hæc mala omnia inde pullularunt, quod periti seculis illis Critici deessent, qui arte sua eruditioni ac veritati succurrerent, cum tot mendis, hallucinationibus, & figmentis misere luctanti

## VIII.

Illuxit tandem serenior bonis artibus dies seculo XIII. & XIV. quibus velut condita opera complures Viri insignes sur-

(g) *In Planco.*

surrexerunt, qui collapsum Veterum Grammaticorum seu Criticorum tribunal rursus instaurarunt, afflictæque rei literariæ patrocinium susceperunt. In humanioribus quidem literis & artibus, quas liberales vocamus, a veteri fermento expurgandis, emendandis, restituendis ac illustrandis incredibile est, quo studio, quave contentione adlaborarint inprimis notissimi Italiæ Triumviri Aligerius Dantes, vel ut alii vocant, Dantes, nobilissimus sui temporis Poeta, dignus quem sera quoque posteritas carminibus suis celebraret: Joannes Bocaccius in Romanis monumentis, in genealogia Deorum, montium, fluviorum, marium, atque in historia Illustrium Virorum ac Mulierum, de quibus omnibus erudite scripsit, versatissimus: & Franciscus Petrarcha, qui operibus suis Criticis, quibus omne fere genus literarum complexus est, præcedentium seculorum tenebras fugavit, densamque fuliginem absterxit. Horum elogium exstat apud Papyrium Massonium, qui eorum historiam exaravit præfixo titulo: *Vitæ trium Hetruriæ Procerum Dantis, Petrarchæ, Bocaccii.* (h) Geminas autem causas susceptæ hoc seculo instaurationis Criticæ est

(h) Tom. 2. Elog.

est reperire apud Henricum Whartonum, doctum Anglum: (i) Prima erat expugnatio Constantinopolis, quæ anno 1453. contigit. Hac enim urbe græcarum principe a Turcis capta, nationis hujus viri literati ac in paucis eruditi patrium solum vertentes ex Oriente in Occidentis plagas, præsertim in Italiam commigrarunt, ubi subtili criticoque ingenio suo magnam inter literarum studiosos æmulationem excitarunt. Ex eo enim tempore non postrema pars gloriæ fuit universa discutere, e terris effodere, atque invicem manuscripta conferre, legitimum textus sensum rimari, auctores ætatemque antiquorum monumentorum disquirere, nihil demum super sensu meritoque libri nisi post maturum examen statuere. Altera causa fuit typographiæ inventum, quæ brevi ingentem & veterum & recentiorum scriptorum copiam orbi literato subministravit, opportunissimam ad bonas artes melius colendas nutriendasque supellectilem. *Duplici fere, inquit memoratus Whartonus, id causæ acceptum debet, Captæ a Turcis Constantinopoli, & inventæ arti typographiæ.* Perfracta semel porta plures cer-  
ta-

(i) *In appendice ad Historiam literariam Guilielmi Cave.*

tatim concurrerunt ad subruendum deli-  
diæ diuturnæ atque ignorantiaæ castrum.  
Certe seculo XV. XVI. & XVII. fue-  
runt quidam, qui e melioris fidei MSSis.  
emendatas Veterum Auctorum editiones  
curarunt, ut e puris fontibus, non ut  
antea lutulentis, scientiarum principia &  
fundamenta hauriri possent: alii Gram-  
maticas, lexica, phraseologias, flores hi-  
stóricos & poeticos decumano labore  
concinnarunt, tum ad latinæ linguæ sin-  
ceræ castæque elementa, tum ad erudi-  
tionis semina in teneris juvenum animis  
jacienda: Alii antiquiores scriptores in  
quovis literaturæ genere eminentes do-  
ctis commentariis illustrandos sibi sum-  
psere, ut lectionis eruditionisque studium  
quam latissime propagarent: Alii pecu-  
liares de omni Veterum monumentorum  
adparatu, de religionibus, de regimine,  
militia, magistratibus, moribus, studiis,  
ritibus, re familiari, vestitu, &c. tra-  
ctatus elucubrarunt, ne quid deesset  
ad literarum encyclopædiam stabiliendam.  
Hanc Criticæ epocham celebrem reddi-  
derunt Viri Clarissimi, ambo Scaligeri,  
nempe Julius Cæsar, Ripæ ad Lacum  
Gardium natus anno 1484. Philosophus,  
Poeta, Medicus & Criticus insignis: ejus-  
que filius Josephus Justus, qui præter  
alia

alia multa opuscula conjecturas & notas in *Varronem*, & de *lingua latina*, castigationes & notas in *Eusebii Chronicon*, thesaurum temporum, & librum de arte Critica scripsit . . . Ambrosius Calepinus, Calepii prope Bergomum oriundus anno 1436. Ord. S. Augustini, qui grande illud latinitatis gazaphylacium seu Lexicon summa industria confecit, a Joanne Passeratio & Ludovico Certa plurium linguarum additamento locupletatum . . . Desiderius Erasmus, patria Roterodamus, suo nomine dicendus Gerardus Gerardi, natus anno 1467. Grammaticorum sui ævi facile princeps: Græcæ præterea & Hebraicæ linguæ admodum peritus, & rerum antiquarum studiosissimus plurima vetustatis documenta e tenebris in lucem protraxit, & ingenii sui monumentis auxit . . . Henricus Canisius, Noviomagensis, Ven. P. Petri Canisii S. J. Frater, & in Academia Ingolstadiensi celebris Jctus. præter alia *quatuor Antiquarum Lectionum voluminibus* clarus . . . Joannes Ludovicus Vives, Valentinus, natus an. 1492. qui libros septem de causis corruptarum artium, quinque de tradendis disciplinis, de artibus octo edidit, in ferenda crisi æque acutus, ac liberalis . . . Guilielmus Budæus Parisiis

ortus anno 1467. qui ab Andrea Junio *nascentis græcæ literaturæ alter quasi Camillus* nuncupatur. Hic præter commentaria græcæ linguæ, & notas in Ciceronis epistolas familiares de philologia, de studio literarum recte instituendo doctissime scripsit. Singulare viri hujus elogium est, quod nec vivus depingi, nec mortuus funebri elogio decorari voluerit, quod ipse summæ laudi tribuit Stephanus Pasquierius elegantissimo hoc epigrammate pios manes prosecutus :

*Nec voluit vivus fingi, pinguique  
Budæus,*

*Nec vatum moriens quæsit elo-  
gia.*

*Hunc qui tanta suæ mentis monumen-  
ta reliquit,*

*Externa puduit vivere velle ma-  
nu.*

Cætera Budæus, Erasmus, & Vives suo tempore *Triumviri rei literariæ* fuerunt adpellati . . . Justus Lipsius non procul Bruxellis ortus an. 1547. de cujus Viri eruditione, & arguta castissimaque crisi tot testes sunt, quot libri, quos exaravit calamo, quem sub vitæ finem ad

aram

aram B. Virginis Halæ Saxonum tanquam anathema suspendi voluit. Ejus symbolum erat: *Moribus antiquis*, quibus scilicet vixit & scripsit. Jure quoque suo locum heic inter præstantiores humaniorum literarum Criticos sibi vendicant scriptores e Societate Jesu, qui partim latinitatem collapsam ex antiquis optimis auctoribus instaurarunt, aut hos ab ethnicis superstitionibus, aliisque sordibus expugnarunt, partim amœniores Musas revocarunt ab exilio, & qua præceptis, qua exemplis Latii Veteris mores ad dignitatem in præsens, quod vivimus, seculum feliciter transtulerunt: Emmanuel Alvarus, Lusitanus ex Insula Madera, natus an. 1526. e priscis Grammaticis, eorumque scriptis summa industria latini sermonis elementa collegit, & saluberrimis legibus Grammaticæ totius œconomiam complexus est, dignus ut in hanc usque diem prima scholarum rudimenta moderetur . . . Michael Pexenfelderus, Germanus Amstorffii natus an. 1613. & Franciscus Pomey, Gallus Paternæ an. 1618. ille adparatu eruditionis tam rerum quam verborum per omnes artes & scientias; hic floribus latinitatis, *indiculo universali* rerum omnium & artium, colloquiis scholasticis, & lexico amplissimo,

non

non solum latine, verum etiam castigate ac erudite de omni rerum genere loqui nos docuerunt . . . Jacobus Pontanus, Bohemus natus an. 1542. vocabula & phrasas latinas, vitæ communis & familiarium colloquiorum, atque artium liberalium usibus perpetuis servituras e doctis antiquitatis rudibus velut extraxit, atque restituit, editis hanc in rem progymnasmatibus quam plurimis . . . Cyprianus Soarius, Hispanus natus circa annum 1522. Nicolaus Caussin in Gallia 1570. Gabriel Franciscus le Jay Parisiis 1657. Franciscus Pomey laudatus, & Dominicus Colonia Aquisgranî 1660. Rhetoricam: memorati Jacobus Pontanus, & Gabriel le Jay Poeticam: Famianus Strada Romæ 1572. & Antonius Possevinus, Mantuanus 1534. Historicen, ad Veterum Oratorum, Poetarum, & Historicorum normam & methodum velut ab inferis ad novam vitam excitarunt . . . Idem Possevinus de ingeniorum cultura, Josephus Juvencius de methodo ac ratione docendi humaniores literas, Renatus Rapinus in Galliis natus 1621. acutissimis super eloquentiam, Poesin, Historiam, & Philosophiam animadversionibus, nobilem accuratam:



ratamque Criticam exercuere. Taceo alia literaturæ lumina, quæ sæculum XVII. & XVIII. atque in his Criticam artem maximis incrementis illustrarunt, qua ætate velut facta conspiratione & miro ingeniorum consensu prodierunt Viri sapientes, qui præsiidiis, quæ superiorum temporum Critice suppeditavit, instructi atque ulterius progressi præter mansuetiorum literarum regionem ab ævi barbari squallore, ac *medii* ignorantia vindicatam, pristinaeque formæ ac elegantia restitutam, fines Imperii Critici quaqua-versum dilatarunt, dum bibliothecis locupletatis & ad usum communem apertis, erutis inde MSSis. & Codicibus, libris eruditione plenis, doctisque ephemeridibus in lucem datis ad Conciliorum & Patrum editiones, Sanctorum Acta, Historiam & Disciplinam Ecclesiasticam, veteres traditiones, cæteramque sublimiorum & sacrarum scientiarum suppellectilem tum a nævis emendandam, tum notis illustrandam manum admovere.



## §. II.

*Critica circa scientias sublimiores.*

## IX.

Primis Ecclesiæ nascentis temporibus jus, ut ita dicam, & potestas Critices erat penes Patres, eamque sane maxima cum ingenii, doctrinæ ac prudentiæ commendatione visi sunt exercuisse. Atque in primis quod ad S. Scripturæ lectionem ac intelligentiam adinet, Origenes qui sena librorum millia teste Epiphonio conscripsit, Philocaliam composuit, seu introductionem ad sacrum hoc studium, quam Basilus M. & Gregorius Theologus ex iisdem Commentariis excerpterunt ob libri præstantiam, in quo de auctoritate, stilo, interpretatione ac charactere scripturarum præclare differit: idem Origenes, & post hunc S. Lucianus Martyr, atque Hesychius SS. Bibliorum editiones suis in Ecclesiis adhiberi præceperunt, a se diligenter emendatas, quod sine Criticæ subsidio nequam facere potuissent. D. Augustini quatuor libri de Doctrina Christiana, septem de locutionibus S. Scripturæ, unus de spiritu & litera plurimas critices re-

gulas continent, ad eruendum verum sensum vel maxime idoneas. Præ cæteris S. Hieronymus hac in re excelluit, uti satis loquuntur illius Prologi, Proœmia, & Præfationes in majorem divinorum librorum partem: Epistolæ ipsius non pauca ad verba & loca, quæ difficiliora in S. Scripturis occurrunt, rite explicanda aptissimæ: responsa ad Damasi Papæ quæstiones in Genesin, Evagrio missa. A cæteris quoque Patribus Tertulliano, Cypriano, Athanasio, Ambrosio, &c. quamplurimæ difficultates biblicæ de rebus Theologicis, Philosophicis, Chronologicis magno studio atque judicio fuerunt examinatæ, explanatæque.

Exstat etiam celeberrimum S. Gelasii I. Papæ decretum in Concilio Romano de libris S. Scripturæ authenticis & apocryphis. Non minus diversa fuerunt Concilia, præcipue VI. Synodus Generalis, quæ de Patrum operibus genuinis, ac sublestæ fidei historiis quibusdam pronunciarunt ac decreverunt. Historiam Ecclesiasticam ante alios Eusebius Cæsareensis decem libris plurimum illustravit, & Photius Patriarcha Constantinopolitanus acutissimi vir ingenii in ducentorum octoginta Auctorum opera crisin tulit, ut

ex ipsius bibliotheca patet. Qui maximam Patrum bibliothecam Lugdunensem, & catalogos Ecclesiasticorum scriptorum Bellarmini, Labbei, Oudini, collectionem Conciliorum Labbei & Cossartii, Acta Sanctorum Bollandi & Sociorum, Spicilegium Dacherii, &c. lustrare voluerit, facile deprehendet, nulli seculo æræ Christianæ defuisse magnos aliquot viros, qui Criticam sacram (ut de profana nihil dicam) professi fuerunt. At hi rarinantes in gurgite vasto videri possunt, si cum iis in comparationem veniant, quos duo postrema secula progenuerunt.

## X.

Juvat recensere aliquos ex his præstantioris notæ, (plures enim suo quemque loco per libri hujus decursum producam) qui in vario sublimiorum scientiarum genere magna cum ingenii, ac fere plerique pari pietatis, laude versati sunt. Agmen ducit Casar Baronius & doctrina & sacra purpura eminentissimus, Soræ in regno Neapolitano natus an. 1538. Oratorii S. Philippi Nerii Presbyter. Hic Annales, seu duodecim seculorum historiam Ecclesiasticam pari industria & eruditione, id est, utraque amplissima concinnavit, cui operi ansam præbuere *Centuriæ* ut vocantur

*Magdeburgenses* præcipuo auctore Flacco Illyrico, insigni hæretico, in lucem datæ, innumeris mendaciis & criticis erroribus plenæ: reticuit tamen consulto Baronius earum Scriptores & nomina, ne vel mentio ipsa apud incautos excitaret pruritum lectionis, nonnisi exitio futuræ. Quamvis autem hoc labore de Ecclesia & veritate immortaliter meritus fuerit, post ipsum tamen omnino multa vetustatis monumenta ab aliis eruta fuerunt, quæ illum latebant, inter quos principem locum tenent Antonius, & Franciscus Pagijs Ord. Min. S. Francisci, qui Criticam Historico Chronologicam in universos Annales Baronii quatuor tomis adornarunt.

Robertus Bellarminus S. J. patria Politianus 1542. dignitate Cardinalis 1599. merito Criticæ Polemicæ conditor adversus postremorum temporum hæreses dici potest, quas trium voluminum opere de Controversiis, & calamo eruditissimo penitus debellasse visus est.

Jacobus Gretserus S. J. Marchdorffii in Suevia natus an. 1560. Vir omnis literaturæ cornucopiæ instructus, scriptisque suis in Tomos XVII. Ratisbonæ collectis clarissimus, Criticam æque eruditam ac

gravem exercuit in libros A catholicorum sui ævi, fidemque Catholicam, ejus ritus ac disciplinam, sacrarum Imaginum ac sanctæ crucis cultum, & quidquid fere ad mores & dogmata Ecclesiæ pertinet, tum doctissime propugnavit, tum mirum quantum illustravit, iccirco *malleus hæreticorum* adpellatus.

Dionysius Petavius S. J. Aurelianensis, natus 1583. in suo *Rationario & Doctrina temporum*, in Hierarchia Ecclesiastica, aliisque bene multis operibus insigne ingenii, philologiæ, & accuratæ Criticæ documentum reliquit.

Antonius Possevinus S. J. Mantuæ natus an. 1534. totam pene Europam peragravit, tum a Superioribus suis, tum a summis Pontificibus ad res fidei Catholicæ componendas ad Principes ac Reges missus. Hæc inter negotia maxima ubique literariam suppellectilem amplissimam collegit, ac præter alia complura Bibliothecam selectam, & Adparatum sacrum (notissima volumina) conscripsit, in quibus tam de scientiis plerisque, quam de scriptoribus sacris & profanis sanam integerrimamque Criticam professus est.

Alexander Natalis Ord. Præd. Rhotomagi natus 1639. in Parisiensi Facultate Theologiæ Doctoris laurea decoratus, vasta mente atque ingenio universam historiam Ecclesiasticam, & in ea quidquid splendidum, sublime, vel dubium ac controversum unquam fuit, multis doctisque Criticæ characteribus est completus, editis octo tomis.

Joannes Harduinus S. J. natione Gallus an. 1646. in omni literarum genere versatissimus, cujus rei documenta plurima in scriptis suis reliquit, maxime vero in Conciliorum notitia Critica, quorum collectionem insignem duodecim tomis posteritati reliquit, mortuus Parisiis an. 1729.

Jacobus Sirmondus S. J. natus 1559. Ricomagi in Galliis, eruditissimos ingenii partus edidit, in quinque volumina Parisiis digestos: maximam vero famam consecutus est illustribus notis & animadversionibus in plurimos Ecclesiæ Scriptores, in Concilia Gallicana, in Caroli Calvi *Capitularia*, & Theodosii Codicem, quæ opera vastissimæ scientiæ, quam in Antiquitatibus Ecclesiasticis & utroque Jure possidebat Sirmondus, viva sunt testimonia: Ejus opera, dum Romæ de-  
ge-

gebat Claudio Aquavivæ Societatis Præposito a secretis, plurimum usus est Card. Baronius in parandis Annalibus Ecclesiasticis, ita ut non pauci apud Bailettum (k) opinentur, quidquid in opere isto ex Antiquitate, ex humanis literis, atque ex Critice sumtum est, id pene totum Sirmondo vendicandum esse.

Bernardus Montefalconius, gallice Montfaucon, e Congregatione S. Mauri, in Galliis natus 1655. post lustratas Italiæ ac Franciæ bibliothecas, veteraque monumenta, celebrem se fecit collectione nova Patrum & scriptorum græcorum, idea magni operis Antiquitatum quinque tomis distincta, aliisque multis lucubrationibus, in quibus omnibus emicat ingenium Criticum.

Philippus Labbeus S. J. patria Biturix, quæ Galliæ civitas est, 1607. stupenda memoria & omni scientiarum humaniorum & sublimiorum com meatu instructus erat, vixque ullum literaturæ genus est, quod non scriptis suis illustravit. Præcipue vero artis Criticæ peritiam prodidit in protreptico de byzanti-  
næ

(k) *Honoratus Tom. 1. Dissert. §. 3. in notis.*



næ historiæ scriptoribus, in bibliotheca Anti-Janseniana, Numaria, & MSSorum, antiquarumque lectionum: in bibliotheca chronologica SS. Patrum & scriptorum utriusque Testamenti cum pinacotheca Scriptorum Soc. JEs. & in Conciliorum omnium collectione maxima 15. tomis, quos una cum Gabriele Cossartio ejusdem Societatis, magnique ingenii viro ingenti sane conatu elaboravit, ac typis publicis dedit.

Joannes Bollandus S. J. Tillemontii natus 1596. Hic grande illud opus Criticum, seu Acta Sanctorum, molitus est post mortem Heriberti Rosweidi Ultrajectensis ejusdem Societatis, qui vitas Sanctorum omnium jam pridem vitiatas 18. voluminibus edendi consilium cœpit, sed fato præventus nonnisi primum absolvit. Profecutus est institutum Bollandus cum laborum socio Godefrido Henschenio, & memorata Sanctorum Acta Mensis Januarii duobus, Februarii vero tribus voluminibus vulgavit. Sed de his uberior postea redibit sermo.

Emmanuel Schelstraten natus 1649. Canonicus Antverpiensis, & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus sub Innocentio XI. præter alia, quæ scripsit duobus tomis  
com-

comprehensa, celebre nomen suum reddidit vasto opere, cui titulus *Antiquitas illustrata*, in quo totius Historiæ Ecclesiasticæ capita in conspectum dedit.

Ludovicus Sebastianus Nanus Tillemontius, Parisiis ortus an. 1637. Sacerdotio initiatus totum se Historiæ Ecclesiasticæ scribendæ impendit. Hujus Viri Criticam, quam in eadem historia exercuit, celebrant non pauci, quod in verbis suis moderatus, in alienis adducendis rectus, in judicio ferendo cautus, & in animadversionibus sagacissimus fuerit. Multis quoque profuit labore suo, e quo tanquam fonte in edendis SS. Patrum gestis, & Veterum scriptorum monumentis plurima hauserunt documenta.

Ludovicus Elias Dupinus, Parisiis natus an. 1657. Doctor Sorbonicus, Bibliothecam Auctorum Ecclesiasticorum concinnavit singulari quadam & vulgarem industriam multum superante methodo, cujus ingenio, artisque Criticæ peritiæ laudem oppido magnam tribuunt etiam illi, qui adversus bibliothecam hanc calamum strinxerunt.

Adrianus Bailletus, natus Novæ Villæ non procul Bellovaco an. 1649. erat  
Phi-

Philosophiæ, Historiæ, Chronologiæ, Criticæ ac Theologiæ disciplinis probe imbutus : Lamoignonii Bibliothecæ celebri Præfectus tum in ejusdem monumentis describendis, tum in Vitis Sanctorum ad Criticæ leges enarrandis tempus omne usque ad vitæ finem consumpsit.

Riccardus Simonius Deppensis in Normandia ortus 1639. Collegio *Oratorii*, ut vocant, nomen dedit, cui tamen post plures annos valedixit. Fuit in homine ingenium & eruditio præclara : plurimum linguarum notitia instructus Bibliorum Criticæ reliquam vitam impendit, ea commendatione, ut ipsius quod scripsit opus multorum voluminum compendium a Spanheimio licet adversario dicatur.

Theodoricus Ruinartius, patria Rheimensis, natus 1657. e Congregatione S. Mauri, individuus Mabillonii in legendo & scribendo socius, præter alia, quæ lucubravit, insigni opere, cui titulus : *Acta primorum Martyrum sincera & selecta*, in orbe literato inclaruit.

Joannes Launoïus, Valoniæ in Normannia natus 1603. longo cum viris literatis commercio magnam eruditionis Criticæ suppellectilem congeffit, quam etiam

etiam plurimis scriptis in decem volumina Genevæ digestis publici juris fecit.

Claudius Fleurius, Parisiis natus an. 1640. Ludovici XV. Regis Christianissimi olim conscientia moderator, præter alia minora opera historiam Ecclesiasticam adornavit a Christo in cælos ascendente usque ad seculi XV. initium, quam D. Fabri ad seculum XVI. persecutus est, dispari tamen & a Fleurii vestigiis multum recedente methodo. Tria opere suo præstitit Auctor; nempe doctrinam fidei & sacris Scriptoribus, Conciliis, & Pontificum oraculis illustrat: Disciplinam Ecclesiasticam ex Conciliis, eorum canonicis sanctionibus, & summorum Pontificum decretis exponit: Mores Ecclesiæ, ac Veterum præcipue Christianorum tam graphice exhibet, ut res gestas oculis usurpare se credat lector, iisque interesse. Historiam ipsam gallicè scriptam latine reddit, dum hæc scribo, Cl. Bruno Parode O. S. Benedicti.

His adjungi meretur Henricus Schütz S. J. Historiarum Professor in Academia Ingolstadiensi, qui novissimæ Commentarium Criticum de Scriptis & Scriptoribus Ecclesiasticis in lucem dedit, velut  
pro-

prodromum majoris, quod circa Historiam molitur, Operis.

Ultimo loco memorandus venit temporis serie, non Critices peritia postremus, Honoratus a S. Maria Ord. Carmel. e Provincia Aquitaniæ, qui Animadversionum in regulas & usum Critices libros tres gallico idiomate conscriptos in lucem dedit, postea in linguam latinam translatos a Marco Francisco ejusdem Ordinis Alumno, & typis impressos Venetiis an. 1738. Hic Auctor laborem maximi sane momenti, & quod noverim, primus suscepit, scilicet ut nobilissimam artem Criticam illustraret simul, atque ab intemperantium quorundam scriptorum vitiis, erroribus, & commentis purgaret. De hoc opere Interpres ita loquitur: *Quod vero illud summa integritate, exquisita diligentia, vi acerrima, & moderatione prope singulari sustinuerit, citius cognosci legendo potest, quam laudando significari.* (1)

Memoratos hucusque scriptores, e quavis fere classe nobilioris Critices aliquos præ cæteris celebriores notioresque seligere placuit, qui tum circa humaniores literas & artes, tum circa S. Scrip-

(1) *In Epistola prævia.*

pturæ editiones ac interpretationes, Acta Sanctorum, Concilia, Historiam Ecclesiasticam, Controversias polemicas, & Ecclesiæ disciplinam ac mores versati sunt, ut adpareat, qua ratione Ars Critica, cujus historiam in compendio exhibere constitui, a prima origine sua ulterius progressa, & maximis in hanc diem incrementis fuerit amplificata. Non equidem omnium horum Criticam, quam exercuere, facultatem adprobandi animus est, dum suo postmodum loco non leves aliquorum, ut Dupini, Bailleti, Tillemontii, Launoii & Simonii nævos & hallucinationes intuebimur: non tamen ad tenebras damnandi, ac debita laude privandi erant Viri vasta antiquitatis notitia & ingenii acumine præditi, quos suis etiam erroribus rem Criticam multum promovisse fateri oportet.





## CAPUT III.

### OECONOMIA CRITICÆ ARTIS.

#### §. I.

*Criticæ studium circa Codices,  
MSSa. & artes liberales.*

#### XI.

**O**economia (vox græca nata ex  $\delta\omicron\mu\omicron\varsigma$  quod est *domus*, &  $\nu\omicron\mu\omicron\varsigma$ , quod est *lex*) Latinis domus administrandæ legem, seu rei domesticæ administrationem significat. Transfertur tamen etiam ad alia, quemadmodum apud Quinctilianum (m) accipitur pro dispositione Oratoribus & Poetis maxime necessaria, utpote *quæ, quid, quo loco sit dicendum, ostendit*. Itaque prima pars præsentis Oeconomix Criticæ, quam explicare aggredior, ea omnia ordine suo recensabit, circa quæ  
ars

(m) *Lib. 1.*

ars hæc versatur; nam latissime patet & regnat: Tum vero altera leges in medium adferet, quibus intra debitos fines cohibetur, ne latiori dominatione noceat potius quam profit. Ut a minimis incipiam, si tamen minima dici possunt, a quibus maximi momenti res pendent, operam suam collocavit Ars Critica

I. In disquisitione variarum lectionum, quæ in antiquis monumentis occurrunt, in collectione scilicet MSSorum: & Codicum emendatione. Ante inventam typographiam Majoribus nostris haud alia suppetebat via, haud aliud consilium, quo egregia doctorum hominum volumina æternitati committerent, nisi ut eorum exempla, quam fieri posset multiplicia manu exararent. Fecerunt id tum Monachi vel temporis, quod a sacris functionibus supererat, bene collocandi gratia, vel ut posteritati labore suo prodesse: tum librarii mercedè conducti, aut familiæ sustentandæ necessitate constricti. Verum hæc ipsa res non raro & Scriptorum authographis, & reipublicæ literariæ magnam cladem intulit. Nam describentium sive oscitantia sive imperitia factum est, ut quædam erroribus contra orthographiam depravata



fuerint, quædam quæ non intelligebantur a scribis, in sensum alienum detorta, alia omissa, aliqua etiam aliorum, quæ legi non poterant, loco substituta. Hinc quoque vel nunc res plena negotii est, invenire e manuscriptis pluribus idem argumentum tractantibus duo exemplaria, quæ non in aliquibus a se invicem dissideant. In ipsos adeo sacros Codices triste hoc fatum penetravit, in quibus jam tempore D. Hieronymi, & postea usque ad ævum Sixti V. & Clementis VIII. quo vulgatæ correctio suscepta fuit, non paucæ verborum translationes ac iterationes, diversæ lectiones, crebra additamenta & variationes deprehensæ fuerunt, id quod contigit vel vitio Amanuensium, vel ut nonnulli Patrum observarunt, Judæorum perversitate ac hæreticorum fraude, qui sacras literas emendandi polientique prætextu usi eas frequenter perverterunt. Quare non frustra olim jam D. Hieronymus quasi futurorum præfagus monuit: (n) *Unde consueta præfatione commoneo tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos, qui exemplaria ista habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia transcribantur.* Eo etiam progressa est hæc tem-

po-

(n) *Præf. ad Psalm.*

porum & librariorum iniquitas, ut ipsi voluminum tituli persæpe vitiiati fuerint, mutatis vel adfutis Auctorum, quorum tamen non erant, inscriptionibus, unde tanta apocryphorum copia fere in omni literarum genere orbem inundavit. Hisce malis sane gravissimis non alia, quam ars Critica medelam & adferre potuit, & adtulit Grammaticorum aliorumque eruditione præstantium virorum ope, qui variis lectionibus antiquis incredibili labore collectis, & diversis exemplaribus inter se accurate collatis menda & sphalmata correxerunt, spuria expunxerunt, genuina suis locis reddiderunt, rectumque sensum absterfis obscuritatum tenebris restituerunt: quin etiam acri iudicio in consilium vocato supposititia opera vel rejiciendo, vel veris dominis suis vindicando rem eo deduxere, ut ætate nostra numeris omnibus absolutæ Veterum qua profanorum qua sacrorum Scriptorum editiones prodierint. Præclaram hoc in negotio operam præstiterunt, de quorum aliquibus jam memini, in humaniore literatura Justus Lipsius, ambo Scaligeri, Erasmus, Henricus Canisius, Gretserus, Pontanus, Lambecius, &c. in sublimiori Huetius, Garnerius, Sirmondus, Dacherius, Mabillonius, Ruinartius,

Montfauconius, &c. qui velut expilatis bibliothecis, & veterum scriptis ac monumentis plurimos scriptorum vel integritati restituerunt, vel omnino quasi jam sepultos ad vitam revocarunt. Neque heic stetit labor improbus: bibliothecæ MSSorum in lucem datæ fuerunt (hunc enim titulum præferunt) duce Possevino, qui primus ad calcem *Apparatus sacri* adnexuit catalogum MSSorum, quæ in Vaticana, Sforziensi, Taurinensi, Medicea, aliisque multis bibliothecis adservantur: secuti sunt Labbeus, qui Regiæ Bibliothecæ, Lambecius, qui Cæsareæ, Alexander Barvoetius, qui Scorialensis, Sanderus qui Belgicæ, alii aliorum per Europam manuscriptorum elenchos publicis typis vulgarunt.

## XII.

II. A lectionis scriptorum, & codicum emendatione ad humaniores literas Critices cura transit, quarum nomine communiter Grammaticæ, Poeticæ, ac Rhetoricæ disciplinæ veniunt. Harum tres præcipuæ vicissitudines fuere, quas vulgus *Revolutions* adpellat. Prima Græciæ merito defertur, & in Græcia Atticæ regioni, ubi Athenæ, in qua urbe ipsæ Musæ domicilium fixisse sunt visæ,  
&

& e qua præstantissima quæque ingenia & literaturæ principes Grammatici, Poetæ ac Oratores prodierunt, qui artes liberales ad summum apicem perduxere. Altera fuit, quando una cum Imperio e Græcia Romam translatae fuerunt literæ. Quippe Romani postquam a diuturnis bellis aliquantum otii fuerunt nacti, in Græciam trajecerunt, ut præter arma etiam literarum usum sibi familiarem redderent: inde doctrinæ spoliis onusti Romam reversi primum linguæ latinæ expoliendæ manum admoverunt; tum Poeticam quoque ac Oratoriam facultatem excoluerunt tanta animi contentione fructuque, ut Augusto imperante aurea literarum ætas cælo delapsa videretur. Admirabilis tunc ingeniorum proventus, & ideo brevis, nempe vix seculo uno & dimidio usque ad Antoninos, & ab his ægre se sustentabant hæ scientiæ ad Vandalos & Gothos usque, post quos magnum illud chaos & ignorantiae cataclysmus bonarum artium regiones omnes occupavit atque vastavit. Erigere quidem prostratas seculo IX. magnisque impensis sategit Princeps optimus Carolus M. post hunc Philippus I. Galliarum Rex seculo XI. fundatis quibusdam Gymnasiis, comparatis libris, & accersitis viris doctrina

insignibus. Sed bella continua, & regnorum vicissitudines, maxime vero inscitia, quæ altas nimium radices egerat, spem fefellere. Grammaticæ alumni, æque ac magistri egregie officio se suo functos rebantur, si voces inflectere, declinare nomina per casus, numeros & genera; conjugare verba, atque communes syntaxeos leges observare, & solæcismos venari docerent ac discerent, de proprietate verborum, sententiarum elegantia, integritate, ac nitore sermonis parum vel nihil solliciti: non jam pudori erat, obsoleta & barbara immiscere verba, eque linguis vernaculis dialectum & idiotismum in latinam derivare ad demulcendas plebis aures; atque hoc labore universa rei grammaticæ doctrina circumscribebatur. Poetica non est progressa ultra syllabarum quantitatem, & carminum metra: qui numerare pedes in digitis optime noverat, is parnassum scandere, & laurum ab Apolline jure quodam suo exigere videbatur: interea misere claudicabant versus, nunc pede breviores, nunc longiores: parum vel nihil puræ aquæ de fonte castalio, nihil flammaram de æstro poetico; omnia jejuna, sicca, nuda, nec nisi Pegasi calce inverso digna. His tamen versibus mire sibi placebat rude secu-

culum, ita ut aureis etiam characteribus scriberentur in membrana, & in saxis, maxime sepulchralibus, sculperentur ad posteritatis non tam memoriam quam risum. Rhetorica vero Ennii & Pacuvii ævum potius, quam Demosthenis & Tullii sapiebat: nihil aptum ad persuadendum, nihil ornatum proferebatur: stilus scaber & inconditus, figuræ pueriles & ineptæ, periodi quadratæ non rotundæ, argumenta non e locis Rhetoricis, sed e lunæ concavo petita: tota oratio stagnum, non flumen eloquentiæ referebat. Quid? quod nec Orthographiæ & characteribus pepercerit cruda barbaries. Romani dum Respublica vivebat, simplicibus quidem, sed ipsa simplicitate nitidis, ejusdemque formæ literis usi sunt; sub Imperatoribus vero quadratas vocant, non inveniusta tamen proportione præditas adhibere cœperunt: sed inclinante Imperio amissa sensim pristina forma postmodum in obliquas, & in longos apices productas, demum velut in silvam incultam & carduis plenam migrarunt, Gothicis & Longobardicis characteribus fere ubique dominantibus. In tam spissis mansuetiorum literarum & artium tenebris subinde quidem radius aliquis effulgebat, sed illico a coeuntibus nubilis absorbebatur. Tribus abhinc se-

culis fuere quidam, qui audebant cogitare de tanta calamitate levanda. Timide igitur primum, ac verecunde indignari cœpit Italia, inquit Criticus non ignobilis, ignorantia tam annosa pertæsa: paullo confidentius laboriosa Germania facem accendit, quam brevi tempore in Europam circumtulit omnem æmulatio. Nimirum surrexerunt magni viri, qui veterum Grammaticorum Criticam revocarunt, ejusque potestate libertateque usi hæc studia partim a loliis & cœno purgarunt, partim ad antiquum splendorem provehere conati sunt editis doctissimis commentariis. Tales fuerunt Erasmus, Lipsius, Grotius, Turnebus, Scaligeri, Budæus, Politianus, Muretus, Franciscus Vavaforius S. J. qui ut ait Honoratus in Opere suo Critico, *unus inter Europæ homines fuit, qui latinæ linguæ venustatem melius intellexit, eamque ab Augusti seculo purius & elegantius omnibus usurpavit.* Taceo alios, quos supra jam commemoravi. Unum præterire nefas foret rei hujus argumentum, postremi seculi sane nobilissimum, videlicet grande illud opus & immortalitate dignum, quinquaginta voluminibus constans, quod sub auspiciis Ludovici XIV. Galliarum Regis, opera consilioque Montauserii Meldensis,

&

& Huetii Abrincensis Episcopi Parisiis ad  
*usum Delphini* editum fuit. Complecti-  
 tur illud triginta Veteres Auctores, Poe-  
 tas, Rhetores, & Historicos ævi sui prin-  
 cipes, cum commentariis & notis exper-  
 tissimorum in quavis classe Virorum: in  
 Phœdrum commentatus est *Danetus*, in  
 Sallustium *Crespinus*, in Terentium *Ca-*  
*mus*, in Cornelium Nepotem *Courtinus*,  
 in Velleium Paterculum *Riguetus S. J.*  
 in Virgilium de la Rue, seu *Rueus S. J.*  
 in Panegyricos Veterum *Baunius S. J.* in  
 Justinum & Valerium Maximum *Cantelus*  
*S. J.* in Q. Curtium *Tellerius S. J.* in  
 Plautum *Leuraeus*, in Manilium *Foyus*,  
 in Juvenalem & Persium *Desprezius*, in  
 Martialem *Colassanius*, in Titum Livium  
*Douiatius*, in Florum, Aurelium Vi-  
 rorem, Dîcten Cretensem & Eutropium  
*Feureus*, in Verrium Flaccum *Dacierus*,  
 in Catullum, Tibullum, & Propertium  
*Du Bois*, in Suetonium *Bavellonius*, in  
 Orationes Ciceronis *Meruvillius S. J.* in  
 Tacitum *Pichonius*, in Plinium *Hardui-*  
*nus S. J.* in Horatium *Rodevillius S. J.*  
 Structura operis istius hæc est: primo  
 textus ex optimorum MSSorum fide quam  
 emendatissimus profertur: tum interpre-  
 tatio seu paraphrasis subjungitur, qua  
 scriptorum sentia dilucide ac breviter ex-



ponuntur : demum adnotationes accedunt historiæ & antiquitatis eruditione refertæ. Nihil profecto nobilioris Critices in hoc Opere prætermiffum est, in quo mascula illa elocutionis Romanæ virtus & dignitas revixit.

Plurimum autem lucis & splendoris attulit mansuetioribus literis lingua latina pristinæ integritati suæ restituta per Criticos, qui Lexica seu Dictionaria ut vocamus, concinnarunt, in quibus tum vocabula in Latio civitate donata, additis Veterum scriptorum probatissimorum exemplis collegerunt, tum obsoleta, barbara, minusque casta vel notarunt, vel omnino expunxerunt : id quod ab ejusmodi Criticis, Viris insignibus, improbo sane ac decumano labore præstitum fuit. Nam uti Scaliger optime animadvertit :  
(o)

*Si quem dira manet sententia Judi-  
cis olim*

*Damnatum ærumnis, supplicisque  
caput ;*

*Hunc neque fabvili lassent ergastula  
massa,*

*Nec*

(o) Sylv. Carm. 39.

*Nec rigidas vexent fossa metalla  
manus.*

*Lexica contexat : nam cætera quid  
moror? omnes*

*Pænarum facies hic labor unus  
babet.*

Non injucundum, ut spero, accidet, rem totam altius, a medio scilicet ævo repetere. Actum videri potuisset ea tempestate de lingua latina, utpote quæ in tanta colluvie barbarum nationum per Hispaniam, Galliam, Italiam, Angliam atque Germaniam grassante vix spiritum trahebat. Fuerunt tamen providi Numinis consilio semper aliqui in literis utcumque versati, præsertim Ecclesiastici Ordinis viri, qui ne penitus extingueretur, pro virili sua illam sustentabant : profani quidem homines, quum etiam barbaræ gentes illæ tam in legibus suis ac decretis, quam in Actis publicis ac privatis latinam ut poterant linguam adhibuerint, eo fine, ut ab omnibus intelligi possent, quod nunquam a nativa sua, barbaraque lingua potuissent obtinere : Ecclesiastici vero, quoniam Ecclesia Romana in sacris functionibus, in Conciliis & Constitutionibus eandem latinam linguam sibi suisque

que propriam esse voluit. Maxime autem tot fatis jactatæ asylum præbuerunt sacra Cœnobia, in quibus fere solis sub id tempus scholæ & studia erant constituta, quamvis & heic locorum optimo frumento non pauciora lolia fuerint commixta. Illustre testimonium habemus in Diplomate, quod Stephanus Papa IX. Cluniacensibus concessit: huic inserta leguntur hæc verba: *In quorum sorte non inferius Cluniacense Cœnobium, quod ab ipso suæ foundationis primordio hætenus evibrat longe lateque sanctæ conversationis jubar sanctissimum: adeo ut faciendo & docendo exstiterit & existat Gallicanis, Germanis, Italicis, & plane cunctis Latine linguæ monasteriis forma & speculum.* Ab his igitur, de quibus dixi, Viris ævi sui Literatis & gnavis hominibus Lexica condi cœperunt, quibus *Glossarum & Glossariorum* nomen inditum fuit. In istis vocabula tum græca tum latina, quotquot invenire in Scriptoribus poterant, congestere, tam proba & casta quam antiqua & obsoleta: quin & barbara recensque vel excogitata, vel composita, qualia non raro ipsi quoque Librarii seu Amanuenses e penâ & arbitrio suo liberaliter insperferunt. Ejusmodi *Glossas & Glossaria* in vetustis bibliothecis, præ-

præsertim Monasteriorum, non pauca est reperire. Principem fere locum tenet illud, quod Salomoni Abbati S. Galli, postmodum Episcopo Constantinensi, adscribitur, qui anno 911. obiisse fertur; quamvis non desint, qui ab Istone Monacho ejusdem Cœnobii, & Salomonis præceptore præfixo discipuli sui nomine editum id fuisse contendant. Mentionem illius facit Chronicon Constantiense, ac *Dictionarii* titulo insignit: *Salomonis Constantiensis Dictionarium Magnum, quem Papiam appellant, scribi fecit.* Cur autem Papiam nuncupetur, causa esse potest, quod Papia, qui integro post Salomonem seculo vixit, simile Glossarium concinnaverit, plerisque e Salomonis Dictionario depromptis. Cæterum quod sive Salomonis sive Isonis fuit, merito reliquis omnibus, quæ secuta fuerunt, est antefendum, utpote vocabulorum e probis & classicis scriptoribus Cicerone, Virgilio, Tacito, Eutropio, Orosio, Isidoro, Hippocrate, Galeno, &c. acceptorum dives admodum, si pauca excipias minus sinceræ latinitatis, & semibarbara. Non eandem merentur laudem, nec a latinitatis nitore, nec a selectu & industria, quæ posterioribus seculis in lucem prodierunt: Glossarium Latino-Saxonicum Auctore  
Al-

Alfrico Anglo, Abbate Abindonensi, dein Archiepiscopo Cantuariensi, qui Salomoni quidem coævus, sed e vivis serius excessit. . . . Glossarium Papiæ, natione Lombardi, *Vocabulista* dicti, cui titulum præfixit: *Elementarium doctrinæ Erudimentum* anno 1053. . . . Glossarium seu Dictionarium Ugutionis Pisani, priore multum auctius, ac etymologiarum accessione locupletius, circa annum 1193. . . . *Summa* seu *Catholicon* Joannis de Janua, seu Januensis de Balbis, Ord. FFr. Præd. ubi multa de Grammaticæ legibus præmissa leguntur anno 1286.

At seculo XIV. ad finem vergente majore frequentia comparuerunt in literaria republica hujuscemodi volumina, nunc Dictionarii, nunc Catholici, nunc Vocabularii nomen in fronte gerentia: re ipsa vero nonnisi e Papiæ, Ugutione, ac Januensi vel excerpta, vel compendia fuere, suis fontibus non multum puriora. His successerunt *Commentarii Grammatici*, & *Institutiones* hujus artis a Joanne Despauterio, Ninovenſi Belga, qui diem extremum clausit circa annum 1514. adornatæ, ac diu in scholis dominabantur. Necdum tamen dispulsæ tenebræ, nec Latio dies optata illuxit, quum Dictionaria hæc, quo-

quorum memini, nec ad leges satis exacta, nec a barbariei reliquiis rite purgata fuerint, vel ob conscribentiam imperitiam, vel ob rei difficultatem, vel ob quandam superstitionem in terendis majorum vestigiis, a quibus vel latum unguem discedere nefas credebatur. At ubi Franciscus Petrarcha primus fere mitiores musas ab exilio revocavit in Italiam, & Laurentius Valla elegantiarum latinæ linguæ sex libros conscripsit, ac Nicolaus Perottus magnum volumen Commentariorum ejusdem linguæ publici juris fecit (quod circa medium & finem seculi XV. factum est) his ducibus animatus Ambrosius de Calepo Bergamensis, Ord. Eremit. S. Augustini, grande opus illud, seu Dictionarium molitus est, quod ab Auctore suo nomen traxit, & *Calepinum* adpellatur. Est hoc veluti gazophilacium latinarum vocum e veteribus tum profanis tum sacris Scriptoribus optimis collectarum longè ditissimum. Summa in eo latinitatis religio, summa in Auctorum sententiis recensendis fides, summa in iis conquirendis industria. Primam lucem aspexit hoc Dictionarium an. MD. & iteratis ac supremis curis ipsius Auctoris prodiit Venetiis an. MDIX. quem qui sequitur, anno satis concessisse dicitur. Crevit postea  
mo-

moles instar magni fluminis rivorum hinc inde accessione. Certe Conradus Gesnerus quatuor millibus vocabulorum optime notæ illud non parum auxit. His, quæ vivimus, temporibus quanta prius penuria, tanta est Dictionariorum & Lexicorum abundantia, ita ut nulla fere ars sit & scientia, pro qua non singularia circumferantur. Tres solum quatuorve similium conditores heic memorandi veniunt: Marius Nizolius, & Robertus Stephanus, qui Tulliana vocabula tanto studio, quanto literarum ordine collegerunt: Franciscus Pomey S. J. qui selectissimis verbis & phrasibus latinis locupletissimum edidit Dictionarium, Gallicis primum, nunc etiam Italicis & Germanicis vocibus idem significantibus adjectis: Carolus du Fresne, Dominus du Cango, Regi Galliæ a Consiliis, & Franciæ apud Ambianos Quæstor, qui insigni eruditione Glossarium ad scriptores mediæ ac infimæ latinitatis in duobus vastis voluminibus posteritati reliquit.



## §. II.

*Criticæ studium circa Philologiam, &  
Historiam sacram ac profanam.*

## XIII.

III. **H**is non contenta progressionibus ars Critica Philologiæ instaurandæ se accinxit. Philosophia Veterum erat primum simplex & recta, stetitque intra rerum naturalium cognitionem, quantam quisque ingenio suo assequi poterat, nondum involuta senticetis subtilitatum. At brevi varias in sectas abiit; & quamvis Aristoteles organo suo & ratiocinandi methodo præstantissima intra limites artis atque scientiæ eam continere adlaborarit, nihilominus illo vel non rite intellecto, vel in alienos sensus detorto, dum suis quisque opinionibus illum servire coegit, inutilibus altercationibus, superstitiosis opinionibus, nulliusque frugi quæstionibus bene multis porta fuit aperta. Equidem jam pridem Democritus & Epicurus de atomis, e quibus universa componerentur, Philolaus Crotoniensis de harmonia mundi, & teluris circa solem itinere aliquid somniarunt: Aristoteles de vi & virtute ele-



mentorū, de gravium & liquidorum pondere ac æquibralitate, de animalium & plantarum genesi ac indole, de cœlorum motu, & astrorum dominatione, deque aliis naturæ arcanis varia tradidit: Archimedes miras quasdam machinas explorandis rerum naturalium viribus in statica & hydraulica servituras struxit. Sed horum omnium memoria vix non obruta sepultaque fuit vitio illorum, qui omnia ingenio, & profundæ meditationi, nihil experimentis & sensuum iudicio in Philosophia tribuendum esse nimia severitate contendebant. Criticæ quidam spiritus nobilis in quorundam animos postremis duobus seculis illapsus effecit, ut amœniorem ars hæc & scientia faciem induerit. Primi fuere, qui tanti rem moliminis susceperunt Franciscus Baconus de Verulamio, Galilæus de Galilæis, Robertus Boyleus. Secuti sunt in Germania Otto Guerickius, Consul Magdeburgensis, P. Schottus S. J. & Sturmius . . . in Galliis Cartesius, Gassendus, Hamelius, P. Fabri S. J. . . . in Italia Kircherus S. J. Franciscus de Lana S. J. . . . in aliis Europæ regionibus Copernicus, Keplerus, Newtonus, aliique plurimi, quos in libro de Philosophia recensui. Infinita brevi Physices

experimenta de aeris pondere, de aquarum artificioſo adſcenſu, de ignis vi urendi, de terræ ac gravium centro, de motu a loco in locum, de ſolis lumine, de coloribus, de magnetis vi attrahente ac repellente, de fluminum origine, de maris æſtu, de ventis, de fulmine, de phosphoris, de virtute electrica, &c. comparuerunt. Non jam amplius tot argutiis ſophiſticis, ſed ſenſuum miniſterio, & conſtructis barometris, thermometris, hygrometris, microſcopiis, teleſcopiis, tubis loquentibus, antliis pneumaticis, machinis electricis arcana Philoſophica explorabantur: meteora, metalla, planetæ, animalia, horumque geneſes, incrementa, virtutes & adfectiones in apicum producta fuerunt cum inſigni aliarum quoque artium & humani commercii emolumento. Non minus Mathefeos diſciplinam noſtris temporibus ad ſummum apicem evectam eſſe læti conſpicimus: emendata eſt temporum ratio, aſtrorum curſus, quantum mortalibus licet, in ordinem reductus, comites Jovis & Saturni, maculæ ſolis, novaque ſidera teleſcopiis detecta, eclipsium præſagia ad calculum exactiſſimum revocata: verbo, nihil fere in cœleſtibus illis plagis a nobis adeo remotis contingit, cujus modo iudicia &

celerēs nuntii non continuo in terras nostras a Mathematicis transmittantur.

Quos non fructus protulit Critice in emendanda ordinandaque Chronologia & Geographia, geminis illis Historiæ oculis, sine quibus ista non cæcutit modo, sed omnino cæca est? Præcipui fuere, qui rem hanc alexæ plenam feliciter tentarunt, & felicius perfecerunt, in Chronologiæ quidem studio: Dionysius Petavius S. J. *de doctrina temporum* & in *Rationario temporum* . . . Joannes Baptista Ricciolus S. J. in opere *de Chronologia Reformata* . . . Philippus Labbeus in *concordia chronologiæ, & methodo chronologica* . . . Ludovicus Tillemontius in *Tabulis chronologicis* . . . Antonius Pagius in *Critica* . . . Renatus Tourneminius in *chronologico systemate super S. Scripturam* . . . In studio autem Geographiæ Aubertus Miræus in *Notitia Episcopatum orbis Christiani* . . . Carolus a S. Paulo, Abbas Fulienfis in *Geographia sacra* . . . memoratus Ricciolus in *Geographia Reformata* . . . Josephus Cantelius S. J. in *Metropolitana- rum urbium historia Ecclesiastica & civili* . . . Henricus Niderdorffer in *Geographia Generali, &c.* Quantum non incre-

crementum (melius forte dixero initium) sumsit hac ætate rei Numariæ ac Diplomaticæ cultura? Harum usus fructusque latissime modo patet: illa quidem ingenerat copiosissimam antiquitatis notitiam, emendat historiæ & chronologiæ errores, manifestat familias Romanas, urbes & colonias, pandit facta memorabilia Imperatorum aliorumque heroum, facitque ut illos velut de facie noscamus: porro symbola & emblemata ingenio ac eruditione plena nobis exhibet. Ista vero, scilicet Diplomatica, non solum characterum & scripturarum miram varietatem, sed etiam priscorum munificentiam ac pietatem, mores ingenuos, germanam fidem, & amplos proventus ante oculos ponit; fœdera pacis, pacta dotalia, ultimas voluntates, omnisque generis instrumenta publica palam facit, ac Monasteriis & Familiis Nobilibus jura sua vindicat.

Inscriptionum quoque antiquarum thesaurum pretiosissimum nobis hoc ævo aperuerunt Andreas Fulvius, Thomasinus, Onuphrius Panvinus, & præ reliquis Gruterus, cujus opus vastum *æternum*, & *incomparabile* celebrant Acta Lipsiensium: ex his & memoriam prisca-

rum rerum, & præclara Majorum facta discimus, atque illustrium Virorum elo-  
 gia, in quibus ingenium cum brevitatem  
 certat. Alias quoque artes pingendi,  
 sculpendi, ædificia & munimenta struen-  
 di, navigandi, incidendi in æs, &c. ad  
 supremum plane fastigium deductas vide-  
 mus. Unde autem tantus Philologiæ  
 proventus? mentiar, si non dicam, a Cri-  
 tica bene ordinata hæc omnia proficisci.  
 Prodierunt enim seculis nostris homines  
 supra vulgus sapientes, sanæ intelligen-  
 tiæ, & critices luminibus pleni, qui ar-  
 tes & scientias singulas, uti antehac tra-  
 ditæ cultæque fuerunt, quam diligentissi-  
 me observantes, deprehensos Veterum  
 errores sustulerunt, & novis legibus ad  
 eas perficiendas constitutis perpoliverunt,  
 nihilque reliquerunt intentatum, donec  
 ad summum splendorem eveherent. Non  
 dissimulabo heic forte illud, quo ad hæc  
 grandia molimina Critice usa est, præsi-  
 dium, nempe *Ephemeres sapientum, A-  
 Æta Eruditorum, Narrationes Reipublicæ  
 literariæ, Monumenta ad historiam scien-  
 tiarum & bonarum artium, &c.* In his  
 enim, quæ per Eruditorum manus quo-  
 tidie circumeunt, omnis generis scripta  
 cum Auctoribus suis compendio recen-  
 sentur; produntur nova quæque inven-  
 ta,

ta, doctæ observationes adjunguntur, adsparguntur Critica monita; verbo, erudita negotiatio cum toto orbe literato instituitur & sustinetur. Tantæ rei primipilus fuit Dionysius de Sallo, Courteriacensis Dynasta, natus Parisiis an. 1626. e pervetusta Pictaviensium familia oriundus, & supremæ Curia Parisiensi, quam *Parlamentum* vocant, a Consiliis. Hic primam lucubrationem, velut operis totius ideam, in lucem emisit 1664. eique titulum præfixit: *Ephemerides sapientum*. Sed quum displiceret quibusdam doctis nimia Criseos licentia, reliquos ingenii sui partus reliquit Joanni Galloisio Abbati, qui amœniore stilo, minusque acris eos elaboravit, habita solum memorabilium e libris extrahendorum ratione. Exemplum hoc secuti sunt aliarum quoque nationum Viri eruditi: Angli anno 1665. ediderunt *Ephemerides Philosophicarum Translationum*. Romani duce Francisco Nazario Bergamensi, Philosophiæ Professore in Collegio Romano *Sapientia* dicto an. 1666. initium dedere *Ephemeridibus Literatorum*. Lipsienses auctore Ottone Menchenio, Oldenburgensi, Academia Decemviro an. 1682. fundamenta jecerunt Ephemeridum, quas *Acta Eruditorum* nuncuparunt. Batavi Nar-

*rationes Reipublicæ literariæ* modicis libellis comprehensas instituerunt an. 1684. quibus præluxit famosus Petrus Baylius. Præ reliquis autem celebres sunt Ephemerides Trevoltienteses, an. 1600. inchoatæ jussu & patrocínio Ducis Cenomanensis, qui ad hunc doctissimum laborem, scilicet *Monumenta ad historiam scientiarum & bonarum artium* Patres Collegii Parisiensis e Societate Jesu selegit, e quorum numero PP. Renatus Tourneminius, Bartholomæus Germonus, & Macharius constantem operam navarunt, reliquis per vices succenturiatis in hanc usque diem. Credi vix potest, quantum emolumenti ex hujusmodi Ephemeridibus tanquam ex divite cornucopiæ Critices Philologiæ accreverit.

## XIV.

IV. Redacta in ordinem literatura mansuetiore ad Historiam qua profanam qua sacram in jus vocandam se accinxit Critice. Et sane amplissimum heic campum laboris sudorisve nacta est. Nam squallida tristisque facies hujus artis humano generi tam exoptandæ, utilis ac pene necessariæ, ante Criticam fuit; ita innumeris mendis & nævis, dubiis narrationibus & fabulis, chronologiæ ac geo-  
gra-

graphiæ vitiis, velut ager patentissimus zizaniis, referta erat. Non pauci enim e græcis scriptoribus, ut fert eorum indoles ad metiendum prona, commenta plurima tanquam testatissimas historias nobis vendiderunt: e latinis vero satis multi, nimium credula gens, quidquid aura populari circumferebatur, & ex Ægypti ac Thebaidis antris emergebat, vix ullo examine præmissis vulgabant. Quidam historicorum omnino falsa narrarunt sive aliena fraude decepti, sive instituto suo decipientes. Aliqui male consultis additamentis etiam ea, quæ vera sunt, corruerunt. Alii quibusdam, quæ circumstant, magni momenti rebus omissis vel saltu superatis partem duntaxat, non integram historiam tradidere, atque ita mancam & hiatibus plenam reliquerunt. Hic expers chronologicæ ac geographicæ notitiæ tempus & locum, ubi & quando res gesta sit, veluti lubens præterit, quod tamen ad fidem faciendam plurimum conferre solet: Ille vel addit quædam e cerebro suo, vel nimium elevat res gestas, atque ita narrationem totam vero minus similem, aut omnino dubiam reddit. Non raro etiam scriptores ipsi in eodem argumento, atque iis, quæ illud comitantur, a se invicem multum dissi-



dent, ita ut verum a falso, & certum ab ancipiti discernere haud valeas. Igitur in negotio tam impedito ad veritatem, quam proxime fieri potest, investigandam necesse fuit adhibere Criticam, ejusque ope variorum Auctorum testimonia inter se conferre, in utramque partem acri judicio expendere, atque inde iis, quæ dubiæ fidei sunt, aut probabilius conficta, rescissis fidelem atque sinceram factorum expositionem conficere. Ab hoc autem judicio & tribunali duplex genus hominum est arcendum: primum est indoctorum & levis ingenii, ad quorum gustum plus, quam probatissimæ vetitates, faciunt antiquæ fabulæ, quibus aures & oculos suos pascere dudum consueverunt, dummodo novitatem aliquam vel quid mirabile redolere videantur: alterum semi-doctorum, qui ultra modum sapiunt, & adfectata superstitione quadam nulli in regno historico narrationi locum concedere volunt, quæ non quasi oculis videri, & manibus palpari queat; quique ab historico demonstrationes exigunt, vix non geometricas.

Hæc Criticæ necessitatem circa historiarum monumenta universe satis superque suadent: multo magis vero, si de Ecclesia-

siastica sermo sit. Nam in ista difficultates occurrunt & plurimæ, & ferme ineluctabiles, eoque graviores, quo e lapsibus non solum veritati, quemadmodum in profana, sed fidei quoque, morumque disciplinæ non raro præsens periculum imminet. Hac in re certum esse videtur ex una parte, non omnes Traditiones, quas antiqui scriptores, plus sæpe a simplicitate quam ab eruditione commendandi, stipato agmine nobis obtrudunt, absque veritatis dispendio recipi posse; ex altera vero, sine urgente necessitate, ac sine gravibus rationum momentis id suadentibus ob præjudicatas duntaxat opiniones aut novandi studium citra piaculum ab iis non esse recedendum. Errant igitur, tum qui omnes novitates fugiendas esse obstinato ad vetustatem ore proclamant, tum qui præscas, ut vocant, nœnias nauseante stomacho nova continuo ructare cupiunt. Exquirere diligenter veritatem veteris memoriæ ingentem adfert utilitatem: sed est ipsa inquirendi ratio perdifficilis. Nihil non admittere, atque omnia repudiare æque perversum est: perversissimum autem omnium (id quod quidam scioli faciunt) fidem iis, quibus omnes mortales ad hanc usque diem adfensi sunt, te-  
ine-

mere ac sine iudicio abrogare, atque ex incenso Dianæ templo cum Herostrato famam aucupari. Unde si qua in re alia, certe in Ecclesiastica historia opus est sobria accurataque crisi, seu facultate discernendi, quantum distent æra lupinis. Neque singulis propemodum seculis defuere magni Scriptores, iique Critici, qui Ecclesiasticam suorum temporum historiam adornarunt: horum tamen characteres admodum diversi sunt; sed nosse illos plurimum interest. Ex antiquioribus insigniores fuerunt Eusebius, Rufinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius, Nicephorus. *Eusebius* Cæsarensis Episcopus, natus circa annum 270. Ecclesiasticam scripsit historiam, Chronicon, vitam Constantini M. Præparationem & Demonstrationem Evangelicam, &c. quibus in libris prima tria secula ad usque Constantinum M. & in iis Ecclesiæ nascentis exordia & incrementa, Episcoporum sibi succedentium seriem, clarorum Virorum res eximie sancteque gestas, tyrannorum sævitiam, & Martyrum victorias complexus est. *Rufinus* Aquileiensis Presbyter & Monachus, qui floruit circa annum 390. præter alia Commentaria Historiæ Ecclesiasticæ libros duos concinnavit, quos Euse-

sepii historiæ in latinum idioma translatae adjecit, a Constantino M. usque ad Theodosii Imp. obitum. *Socrates* cognomento Scholasticus, & *Hermeas Sozomenus*, patria Salaminus, eodem tempore, seculo videlicet V. vixerunt, scripseruntque res actas in Ecclesia a Constantino M. usque ad Theodosii Junioris Consulatum XVIII. *Theodoretus* Cyriæ in Syria Episcopus, S. Cyrillo coævus eodem seculo V. historiam suam Ecclesiasticam usque ad Theodosii Junioris tempora deduxit, quæ prioris a Socrate ac Sozomeno conscriptæ complementum dici potest. *Evagrius* Scholasticus Epiphaniensis, non ut alii tradunt Antiochenus, natus an. 536. sex Ecclesiasticæ historiæ librorum Auctor est, initio inde ducto, ubi Socrates, Sozomenus & Theodoretus finierunt. *Nicephorus Callistus* Græcus, Monachus S. Sophiae, seculo XIV. e priorum scriptis suam contexuit historiam Ecclesiasticam libris viginti tribus a Christo nato usque ad annum 911. extensam. Verum hi omnes nævis & erroribus non carent, aliqui etiam abundant. Eusebius quamvis permagnam rebus Ecclesiasticis lucem asperferit, quandoque tamen falsitatis arguitur, & dubiæ, si non omnino malæ fidei, nec immerito, quum Arianis parti-

tibus palam addictus fuerit, propterea Arianus ab Athanasio, & ab Hieronymo Arianorum signifer & princeps adpellatus, & ut talis a synodo VII. (p) reiectus. Ruffinus satis accuratus & diligens fuit in conscribenda sua historia, a D. Hieronymo tamen novorum dogmatum postulatur, utpote nunc Origenis, nunc Pelagii fautor: quod Hieronymi iudicium confirmavit Gelasius Papa dicens: *Quoniam D. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ D. Hieronymum sentire cognoscimus.* Socrates & Sozomenus non semel a via veritatis aberrarunt, maxime ubi de secta Novatiana loquuntur, qua erant infecti; præterquam quod hi ambo Historici scriptorum quidem affinitate juncti, multum tamen inter se in opinionibus diffideant.

Theodoretus multa egregie scripsit: libri XII. adversus Gentiles summo in pretio habentur, quos casto labore hæretici in dubium vocant. In ejus historiam tamen referente Dupino (q) non pauci errores irrepsērunt; seu proprio seu alieno vitio, non satis constat. Evagrius

cæ-

(p) *Actione quinta.*(q) *Tom. 3. part. 2.*

cæteroqui peculiaris accurationis scriptor in recensendis pluribus factis nimie credulitatis, & pronioris ad fabulas indolis accusatur. Nicephorus demum frequentia quidem commenta & quisquillas e sublestæ fidei Auctoribus conquistatas adfert: temere tamen a Causabono & aliis non pluris *quam folia farsaræ* æstimatur, quando in vilibus illis pannis non raro pretiosa purpura intertexta invenitur. Hæc de scriptoribus Ecclesiasticæ historiæ antiquioribus, in quibus purgandis plurimum laboris habuit, quem insumeret recentior Critica. Hanc Veterum monumentis adjuti exercuere Viri clarissimi: Magnus ille Baronius, non solum de historia, sed de tota quoque Ecclesia Annalibus suis optime meritus inter cæteros eminuit; quamvis autem reconditæ eruditionis thesaurum ejus volumina in se contineant, fateri tamen oportet, multa postmodum e bibliothecis ac MSSis eruta fuisse, Baronio ignota, nec pauca notis ac supplementis partim correctâ, partim illustrata a doctissimo Pagio, & eruditissimo Emmanuele Schelstraten. Secuti sunt Baronium Abrahamus Bzovius, Polonus e Familia D. Dominici, & Henricus Spondanus Episcopus Appamiensis in Gallia, ille persequendo Annales, hic

in synopsis redigendo. Uterque Vir erat multæ scientiæ, vastique ingenii: priori tamen vitio vertitur, quod plus de Ordinis sui, quam de Ecclesiæ rebus gestis enarrandis sollicitus fuerit: Alter in Augustino Tornielo contrahendo, quam in Baronii historia continuanda felicior fuisse perhibetur. Horum vestigiis præclare institit Odoricus Raynaldus, Presbyter Congregationis, quæ *Oratorium* dicitur, qui ab anno 1198. quo finiit Baronius, usque ad millesimum quingentesimum trigésimum quartum Ecclesiasticam historiam deduxit octo Tomis, dum viveret, editis. Eandem diversis quidem viis, sed eodem Critices studio ad sublimem gradum evexere Alexander Natalis in selectis historiæ Ecclesiasticæ capitibus: Ludovicus Dumesnilius S. J. in doctrina & Disciplina Ecclesiæ, ipsis verbis SS. Codicum, Conciliorum, Patrum, & Veterum genuinorum monumentorum digesta: Godavius Grinicensis Episcopus: & Claudius Fleurius supra laudatus.



## §. III.

*Criticæ studium circa Theologiam  
& Concilia.*

## XV.

V. **M**odo ad sublimiora gradum faciamus: in his amplissimum sane campum ad vim virtutemque suam exrendam invenit Critice. Atque imprimis in Theologia, cujus tres veluti epochas distinguere oportet. Prima fuit *Theologia Patrum*, quales præcipui fuere Augustinus, Ambrosius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Cyrillus, &c. qui doctrinam suam sacris Literis superstruxere, atque scientiam tum ad erudiendos fideles, tum ad refellendos hæreticos necessariam ex ipso Bibliorum fonte hauserunt. Nam uti olim dicta Sophorum practica, moralia, & ingeniosa Theologiam Græcorum ac Romanorum, ita in Ecclesia Patrum doctæ interpretationes, graves sententiæ, ac sana dogmata Christianam constituiebant Theologiam. Hic mos tenuit fere usque ad seculum VIII. Altera erat epocha *Theologia Scholasticarum*, inter quos Taio Cæsar Augustanus Episcopus, V. Beda,



Alcuinus, Rabanus, Maurus, aliique ejusdem ætatis, qui vastis Patrum operibus in synopsis redactis, atque Scripturarum scholiis & commentariis Theologicam doctrinam complexi sunt; quæ methodus invaluit, duravitque circiter usque ad seculum XII. Tertia demum fuit *Theologiæ Scholasticorum*, cui præluserunt seculo IX. S. Damascenus opere in quatuor volumina distributo de *Fide Orthodoxa*, & seculo XI. D. Anselmus doctissimis libris *Cur Deus-Homo: de processione Spiritus sancti: de voluntate Dei: de concordia præscientiæ & prædestinationis, ac gratiæ Dei cum libero arbitrio: de peccato originali, &c.* At seculo, quod dixi, duodecimo dispersas Patrum, aliorumque Doctorum sententias colligere cœpit, ordinareque quatuor libris Petrus Lombardus, propterea dictus *Magister Sententiarum*, quem secuti sunt Alexander Aletensis, D. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Thomas de Vio seu Card. Cajetanus, Franciscus Suarius, aliique quamplurimi omnis Ordinis ad hæc usque tempora. Hæc Theologia continet, quidquid ad Deum, ad Christum, ad Angelos, ad fidem, ad gratiam, ad virtutes, ad Sacramenta pertinet, & Scholastica dicitur, tum quia in scholis civitate do-

nata est, tum quia circa materias has scholastica, id est, subtili ac contentiosa versatur methodo, quum non solum auctoritate S. Scripturæ, Conciliorum & Patrum, verum etiam ratione humana certis legibus circumscripta innitatur. Jam vero omnibus his tribus Theologiæ generibus liberaliter se indulgit Critice: primis quidem duobus, dum in eorum opera genuina inquisivit, rejiciendo satis multa, quæ falso aut temere Patribus tribuebantur: vindicando eorum scripta ab ineptis sensibus & dogmatibus, quos vel ignorantes quidam Catholici, vel male feriatii hæretici illis affingebant: opera inedita in lucem producendo: alia a nævis subdole inspersis purgando, procurandoque e MSSis in subsidium vocatis emendatissimas editiones. In tertio autem Theologiæ genere, nempe Scholasticæ, in quam succedentibus temporibus multæ quæstiones inutiles, tricæ dialecticæ, & nata in cerebro systemata irrepsērunt, neglectis Patrum, Conciliorum, & historiæ Ecclesiasticæ testimoniis ac monumentis, Critica plus habuit, quod ageret, nimirum ut extirpatis hisce subtilitatibus & heteroclitarum opinionum sentibus eam purgaret. Hinc locos Theologicos melius consulere, Patres qui per lites scho-

lasticas in minori pretio habebantur, diligentius evolvere, Conciliorum auctoritate firmare dogmata, historiæ Ecclesiasticæ documentis sententias locupletare, argumenta instruere docuit ita, ut non dominaretur ratio, sed sacre Doctrinæ ancillari assuesceret. Non enim rationis usus est repudiandus, quamdiu terminos non egreditur, sed semetipsam dogmatum fidei intelligentia definit. Qua in re insignem operam præstiterunt Melchior Canus, Dionysius Petavius, Thomasinus, Honoratus Tournelius, Edmundus Simonet, Petrus Annatus, & novissime Antoineus, aliique qui Theologiam Dogmaticam excoluerunt. Hoc Criticæ beneficium fuit, non illius, quæ pueriliter Scholasticæ insultat, uti levioris armaturæ Critici quidam seculo nostro faciunt, sed sobriæ, prudentis ac circumspectæ, quæ rem hanc summi momenti ad pondus *Sanctuarii* examinare novit.

## XVI.

VI. Porro Conciliorum notitiæ plurimum profuit, eamque mirum quantum amplificavit eadem Critice. Sunt enim vero Concilia firmissimum fidei tum adversus hæreticos tuendæ, tum in Catholicorum animis stabiliendæ præsidium, ut-

pote quibus legitime convocatis ipse Spiritus S. veritatis omnis Magister secundum Christi promissum adfuit. *Nullibi melius*, ait Illustrissimus de Marca (r) *fides universalis Ecclesiæ solet apertius explicari, vel splendidius eminere, aut securius prædicari, quam in compendio universalis Ecclesiæ, quæ conciliis generalibus representatur.* Eorum decreta, quæ Canones vocantur, semper ab orbe Catholico tanquam fidei oracula, & morum regulæ fuerunt exceptæ, summaque in veneratione habitæ. Ut igitur in omnium oculis versarentur, & omnium tererentur manibus exactissima & incorrupta eorum exempla, incomparabili Ecclesiæ bono effecerunt Viri docti & Criticæ periti, ut non solum omnino emendatæ ac integerrimæ, verum etiam splendidissimæ tot editiones prodirent qua *Generalium & Oecumenicorum, qua Nationalium ac Provincialium Synodorum*, identidem productis in lucem quibusdam, quæ hæctenus oblivione sepultæ jacebant. Neque hæc tantum stetit eorum labor: doctissimis eas notis, & historicis, chronologicis ac theologicis dissertationibus illustrarunt, & sacratorum

(r) *Concord. Lib. 5. C. 8.*

Canonum seriem atque concordiam restituerunt, ita ut nihil jam in hoc genere perfectius, magisque absolutum desiderari posse videatur. Non erit abs re, grandem hunc apparatus in conspectum dare, & quidem e paginis nuper admodum anno 1758. vulgatis ab Antonio Zatta, Typographo Veneto, quæ titulum præferunt: *Conspectus novissimæ ac omnium locupletissimæ sacrorum Conciliorum editionis*. Hæ paucis, quæ ad chronologiam & historiam pertinentia adjungo, exceptis sic habent: Prima post typographiam inventam Conciliorum editio fuit, quæ a Jacobo Merlino Ecclesiæ Parisiensis *Penitentiario* an. 1524. adornata est, duosque Tomos complectebatur, quæ deinde per Petrum Crabee, Mechliniensem *Minoritam* inventis plusquam quinquaginta Conciliorum MSSis aucta tribus voluminibus Coloniae prodit an. 1538. & amplior adhuc reddita an. 1551. . . . Laurentius dein Surius novam Coloniae vulgavit an. 1567. quatuor tomis, qui non solum aliquot locorum millibus ad Manuscriptorum Codicum fidem diligenter collocatis, verum etiam *Constitutionibus* Apostolicis, plurimisque aliis Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, quæ ad id usque tempus desi-

derata fuerant, Conciliorum thesaurum locupletavit. . . . Surianam excepit Veneta in quinque tomos distributa an. 1585. & Venetam Græco-Latina Conciliorum Generalium a quibusdam Romanis Eru- ditis in lucem data an. 1608. quatuor vo- luminibus. . . . Decem elapsis annis se- cuta est Biniana, quæ nimirum Severini Binii Canonici Coloniensis opera prodiit Colonia, anno quidem 1618. in novem, anno 1636. in decem tomos divisa, notis & scholiis plurimis illustrata. Has omnes & voluminum numero, & augusto char- tæ ac typorum adparatu antecellit Regia, quæ in triginta septem tomos diffusa anno 1644. Parisiis comparuit. Interea Gene- ralium Conciliorum collectionem primum Lovanii an. 1665; dein Bruxellis anno 1673. quinque tomis subministravit Chri- stianus Lupus O. S. A. sed Regiam, de qua dixi, proxime duæ aliæ subsecutæ sunt, quæ licet voluminum numero huic Regiæ cedant (minutoribus quippe typis expressæ) tamen documentorum ad ple- niorem Conciliorum historiam pertinen- tium, & ipsarum Synodorum copia Re- giam longe superant. Prior est, quam Vir clarissimus Philippus Labbeus S. J. aggressus est, & operi immortuus Gabrie- li Cossartio ejusdem Instituti perficiendam

reliquit: Posterior, quam Joannes Har-  
 duinus S. J. Presbyter jussu Gallicani Cle-  
 ri Parisiis an. 1715. regius typis vulgavit.  
 Quæ quidem in eo summopere commen-  
 danda est, quod plurima exhibeat vene-  
 randæ antiquitatis monumenta, cæteris  
*Collectoribus* prorsus incognita, quod quam-  
 plurima, quæ in Labbeo mutila & vitia-  
 ta occurrunt, integra reddat & emenda-  
 tiora, & tandem, quod notis brevibus  
 quidem, sed appositis & eruditis omnia  
 pene illustrata sint. Quia tamen Har-  
 duinus solis Actis Conciliorum vulgandis  
 intentus, quamplurima, quæ vel suppo-  
 sititia censuit, vel quæ proprie non sunt  
 Acta Conciliorum, sed vel appendices,  
 vel additamenta, vel Conciliorum *Sum-  
 maria*, quæ priores editiones, & præci-  
 pue Labbeana proferebant, resecta voluit  
 & omissa; hinc ex eruditis quampluri-  
 mi eam velut mancam ac mutilam im-  
 probarunt, necessitatemque sibi impo-  
 sitam conquesti sunt etiam alteram Lab-  
 beanam non sine gravissimis sumtibus  
 comparandi. Cui quidem incommodo ut  
 occurrerent nostri Veneti Bibliopolæ Al-  
 bitrius & Coleti, consilium ceperunt no-  
 vam Conciliorum collectionem cudendi,  
 & Labbeanam & Harduinianam ita com-  
 ponendi, ut quæ Labbeus & Harduinus  
 seor-

seorsim ediderunt, in unum corpus redigerent Conciliorum, & si qua præterea vel ex Manuscriptis, vel ex editis Codicibus aliunde arcessi possent, infererent. Quod quidem Nicolai Coleti, Veneti Presbyteri, Viri eruditissimi opera ita abunde præstiterunt, ut intra sexennium novam ac locupletiores editionem viginti tribus tomis absolutam orbi erudito præbuerint: in qua non solum ea omnia, quæ Labbeus habet & Harduinus, congesta sunt, sed & alia bene multa ex Baluzio, Martene, Cardinali de Aguirre, Bessin, Petro de Marca, Lunigio, Mabillonio, Ughello, Pagio, Christiano Lupo, aliisque Auctoribus huc translata, quæ suis locis optime disposita conspiciuntur. Perfecta hucusque, & numeris omnibus absoluta videri poterat Conciliorum collectio, quum Vir clarissimus P. Joan. Dominicus Mansi tot illustrium Virorum in colligendis Conciliis industriam & eruditionem æmulatus sex supplementorum tomos nuperrime vulgavit, in quibus sexcenta & amplius Concilia in prioribus editionibus omissa in lucem protulit; præter innumera alia, quæ vel manuscriptorum Codicum ope restituit ac emendavit, vel conquisitis undequaque optimæ frugis monumentis supplevit, vel



notis criticis, historicis ac chronologicis, & eruditis etiam quandoque dissertationibus illustravit. Unde rem non ingrati maximeque utilem in literatorum gratiam nos facturos putamus, si novam sacrorum Conciliorum collectionem vulgandam aggredieremur, in qua præter ea singula, quæ Labbeus & Harduinus, & novissime Nicolaus Coleti suis collectionibus inserta voluerunt, ea etiam exhiberemus suis locis optimo ordine disposita, quæ Vir Clarissimus (nempe Mansius) vulgavit, quæque inde se daturum pollicetur, & quamplurima alia, quæ magno studio conquisita quamplures Eruditi Viri nobis exhibuerunt, & indes exhibenda speramus. Hucusque ante memorati Typographi Veneti præfatio ad novissimam & locupletissimam editionem sacrorum Conciliorum, quæ sub prælo sudat, & e qua lector facile totam editionum priorum, tantique moliminis seriem intelligere potest, quam profecto Virorum præstantium Criticæ debemus.



## §. IV.

*Criticæ studium circa Martyrum &  
Sanctorum Acta, nec non Patrum &  
S. Scripturæ Codices.*

## XVII.

VII. **A** Conciliis ad Acta Martyrum & Sanctorum curiosius examinanda, majoreque cum fide posteris exhibenda se contulit Critica, non sine sudore, laboreque immani. Vix enim ullum Veterum scriptorum genus est, cui barbaries, ignorantia, fingendi libido, & ipse religionis zelus inconsultus tantam stragem intulit, quantam huic, videlicet Actis Martyrum & Sanctorum. Fuerunt enim non pauci scriptores Catholici (ut de hæreticis nihil dicam, sacra quæcunque mendaciis corrumpere dudum adfuetis) scriptores inquam Catholici, qui piis fabulis & prodigiis multiplicandis plus studebant, quam veritati investigandæ, tradendæque: quidam de temporum epochis & locorum rationibus observandis parum solliciti innumeris dubiis & disceptationibus ansam præbuere: aliqui pro arbitrio suo sanctis ignotis nomina imposuerunt, quin & ex nominibus Sanctos

Etos Sanctasque formarunt : Alii varia crudelitatis genera, & quasi artificia tyrannorum commenti sunt, ut majori cum admiratione ac splendore Martyres in theatrum producerent : Alii demum dialogos & sermones a vero multum abhorrentes, & inusitados eventus incerto populi ore vulgatos, & SS. Martyribus pene inutiles excogitarunt, uti loquitur Fleurius. (s) Atque rei hujus causa fuit haud alia, quam quod scriptores isti male creduli regulis Critices destituerentur, quarum ope commenta a probatis historiis, supposititios partus a genuinis prolibus, & narrationes sinceras ab incerta fama in vulgus dissipata internoscerent, & vera Martyrum Sanctorumque Acta discernere a fictis. Nosse enim oportet, Diocletiani furorem eo progressum fuisse, ut non solum in corpora Christianorum, sed etiam in sacros Codices & Scripturas eorum saeviret. Nam hujus edicto sub annum 303. Biblia ceteraque Religionis Christianae monumenta & Acta, quotquot reperiri poterant, igne absumta fuerunt. Hanc cladem tristissimam resarcire quidem conatus est reddita sub Constantino M. Ecclesiae pace Eusebius Caesareensis, qui ex adver-

(s) *Hist. Eccles. Tom. 13. in praef.*

fariis Pamphili, illustris Martyris, cui amicitia junctissimus erat, communi fato subtractis acta veterum Martyrum studiose collegit, cujus tamen voluminis nonnisi epitome aliqua superest: quin & alio libro Martyrum historiam complexus est idem Eusebius, sed illorum duntaxat, qui temporibus illis in Palæstina sanguinem pro Christo fuderunt. Postea vero successere scriptores quidam, ut dixi, male creduli, qui quæcunque a Majoribus suis de Martyrum & Sanctorum gestis narrari audierant, vel non bene descripta legerant, additis non raro e penu sua episodis, temere libris suis inseruerunt. Ita vera & falsa sine discrimine Acta Sanctorum copiose in Ecclesia fuere multiplicata, non sine multorum supra vulgus sapientium justissimis querelis, deplorantium tot vero minus similia, tot inepta, quin & falsa in negotio tam sancto per Ecclesias spargi ac circumferri. Falcem igitur in messem non alienam sed suam immisit Critica. Duo solum ejus specimina profero, cæteris illustriora. Primum est insigne opus, seu *Acta primorum Martyrum sincera & selecta*, quod Cl. P. Theodoricus Ruinartius O. S. B. e Congregatione S. Mauri typis dedit Parisiis an. 1689. cujus breve elogium sub-

subministrat Honoratus, (t) dum ait :  
*id complecti, quidquid cavius & pretio-*  
*fius Ecclesia possidet secundum Scripturam.*  
 Alterum sunt *Acta Sanctorum*, quæ non  
 solum Martyrum gesta produnt, sed alio-  
 rum quorumcunque, quotquot toto orbe  
 coluntur, vel a Scriptoribus Catholicis  
 celebrantur, uti titulus operi præfixus lo-  
 quitur. De his inquit idem Honoratus :  
 „ Una profecto erat Societas Jesu, quæ  
 „ tantum munus susciperet atque persol-  
 „ veret : Societas inquam amplitudinis  
 „ summæ atque sapientiæ, ardentissimo-  
 „ que incensa studio nos ad ea instituen-  
 „ di, pro quibus æterna præmia prome-  
 „ riti sunt Sancti. „ Juvat magni ope-  
 ris hujus originem & progressionem pau-  
 cis describere. Heribertus Rosweidus  
 Ultrajectensis S. J. natus an. 1589. ani-  
 mum adjecit ad vitas Sanctorum e pro-  
 batis antiquorum monumentis integritati  
 suæ restituendas, quod consilium sede-  
 cim voluminibus perficere constituit : sed  
 primo absoluto & in lucem edito morte  
 præventus aliis laborem istum relinquere  
 coactus est. Hujus in locum successit  
 Joannes Bollandus Belga, natus Tille-  
 montii anno 1596. ejusdem Societatis,  
 aliud magis arduum amplumque institu-  
 tum

(t) *Dissert. I. Tom. I.*

tum meditari cœpit, scilicet memorata Sanctorum Acta per singulos anni menses distributa. Comparuit primus Tomus an. 1643. Auctore Joanne Bollandò, & Godefrido Henschenio adjuvante, quos postea plures in eodem eruditissimo labore secuti sunt, nimirum Daniel Papebrochius 1668. . . . Franciscus Baertius & Conradus Janningus 1685. . . . Joannes Baptista Sollerius 1709. . . . Joannes Pinnius 1719. . . . Guilielmus Cuperus 1723. . . . Petrus Boschius 1725. . . . Joannes Stiltingus 1741. . . . Joannes Limpenus & Joannes Veldius 1746. . . . Constantinus Suyskenus 1748. . . . Joannes Perierus 1750. . . . Urbanus Stickerus 1755. . . . Joannes Cleus 1757. . . . Porro Januarius mensis complectitur tomos II. Februarius III. Martius III. Aprilis III. Majus VIII. Junius VII. Julius VII. Augustus VI. September VII. usque ad annum 1760. quo hæc scribo. Universe sunt Tomi quadraginta sex: totum vero Opus a prima sui editione facta anno 1643. in hanc diem continuatum periodum annorum centum & septendecim conficit: non adnumeratis tomis tribus, qui titulum præferunt: *Tbesaurus Antiquitatis Ecclesiasticæ*, in quibus Dissertationes, Tra-

cta-

Status, Diatribæ & Exegeses, atque non  
 nulla venerandæ Antiquitatis tum sacræ  
 tum profanæ monumenta continentur,  
 per priores Tomos dispersa. His elo-  
 gium subnecto, non domesticum sed ex-  
 terum, quod ex actis Eruditorum Lipsi-  
 ensium recitat Honoratus his verbis :  
 „ Recondita atque amplissima eruditio,  
 „ perspicax intelligentia, labor assiduus ho-  
 „ rum Illustrium Jesuitarum perspicua sa-  
 „ tis sunt consideranti, ipsos in diutur-  
 „ no hoc molestoque opere factorum in  
 „ uniuscujusque Sancti vita relatorum  
 „ veritatem ad trutinam revocasse, ob-  
 „ scuros textus eruditis adnotationibus  
 „ explanasse, difficultates chronologicas  
 „ expeditivisse, pluraque alia perficiendo  
 „ huic operi necessaria addidisse. Quan-  
 „ tum denique in Critice accuratationis  
 „ esse potest, tantum ipsi ad vera & fal-  
 „ sa monumenta internoscenda traduxe-  
 „ runt. Miraberis in eo exquisitam quo-  
 „ ad infinitos pene, de quibus loquun-  
 „ tur, regionum & factorum inquisitio-  
 „ nem multa minutatim narrata, quæ an-  
 „ tehac apud Historicos compendio tan-  
 „ tum legebantur; habitam mentionem  
 „ complurium Principum, Episcoporum,  
 „ Provinciarum, Urbium & Monasterio-  
 „ rum, quæ nunquam fando pene audita  
 „ fue-

„ fuerunt ; quum neque hæctenus editæ  
„ fuerint non pauca hujus collectionis  
„ vitæ. Apponuntur tandem multæ ta-  
„ bulæ Alphabeticæ, quarum aliqua ad  
„ historiam, & geographiam, aliæ vero  
„ ad nomina propria resque pertinent.  
„ Ex quibus universum licet conjicias,  
„ Acta Sanctorum eodem tempore abso-  
„ lutam Ecclesiæ, omniumque fere regno-  
„ rum orbis noti historiam complecti. In  
„ fronte cujuslibet Tomi nonnulla repe-  
„ ries Opuscula, & Tractationes scitu &  
„ animadversione dignas, neque antea  
„ typis commissas. „

## XVIII.

VIII. Demum post tot exantlatos in  
omni literarum genere labores ars Criti-  
ca vix non limites, si quos tamen ha-  
bet, supergressa, etiam Patrum & Biblio-  
rum Codicibus se indulgit incredibili co-  
natu. Huic certe debemus tot Patrum  
opera ab innumeris mendis, quæ vel li-  
brariorum ignorantia & oscitantia, vel  
heterodoxorum fraude irreperunt, ex-  
purgata : opera quæ illis male supposita  
fuerunt, detecta : quæ vero velut furti-  
ve subtracta, legitimis dominis restituta :  
opera a græco in latinum idioma fide-  
liter translata, & plurimis notis, scholiis,



ac eruditis dissertationibus interpolata. Huic debemus S. Scripturas ad primos fontes linguarum Orientalium beneficio revocatas: argumenta, characteres, doctes, & Auctores librorum *Canonicorum* criticis observationibus palam factos: sensum *Literalem*, *Allegoricum*, *Moralem* & *Anagogicum* doctissimis Commentariis explicatum. Huic denique debemus & Patrum & Bibliorum editiones diversis in linguis, Hebraica, Græca, Syriaca, Chaldaica & Latina accuratis nitidisque typis vulgatas. Quantum ad Patrum opera adinet, eorum quidem meminerunt pridem in Catalogis scriptorum Ecclesiasticorum D. Hieronymus, Gennadius Massiliensis Presbyter, S. Isidorus Hispalensis Episcopus, Photius, Sigebertus Gemblacensis, Honorius Augustodunensis, Henricus Gandavenis, Joannes Trithemius, Possevinus, Aubertus Miræus, & Bellarminus, cui postmodum suas Labbeus, suaque supplementa Casimirus Oudinus adjecit. Sed hæc fuerunt duntaxat Elenchi, & præfationes majoris apparatus. Prima Patrum, & eorum, quæ hi scripserunt, collectio comparuit Basileæ an. 1555. unico volumine circumscripta sub nomine *Orthodoxographiæ*, angustis admodum finibus. Hæc post-

modum diversis, quæ passim desiderabantur, scriptis aucta, ad octo volumina excrevit, & Margarini de la Bigne, Doctoris Sorbonici, studio Parisiis excusa prodiit an. 1576. tulitque nomen *Bibliotheca Patrum*. Istis octo brevi alia tria volumina, nonum 1579. & decimum atque undecimum 1601. adjecta fuerunt. At necdum contenta hoc adparatu satis magno industria & sagacitas Criticorum aliam molita est collectionem an. 1622. Coloniae primum tomis quindecim, dein Parisiis duodecim, græco & latino idioma te, quam tribus Tomis Franciscus Cambesius O. P. auxit: atque huic impositus est titulus: *Magna Bibliotheca Veterum Patrum*. Tandem protractis in lucem semper novis novisque ac pluribus Manuscriptis, libris ineditis, & variis documentis Lugduni concinnata est an. 1677. *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum & Antiquorum scriptorum Ecclesiasticorum* viginti septem voluminibus constans. An non maxima ista major adhuc sit secutura, ignoramus.

Quod vero ad S. Scripturam spectat, hoc sane in stadio impigre desudavit Critice. Non enim contenta, ut omnes antiquas, quas vocant *Versiones* sepa-

ratis libris edendas curaret, etiam Bibliis Polyglottis conficiendis operam indefessam navavit, quæ ita sunt adpellata, quod Autographos textus, & horum in aliis linguis interpretationes completantur. Primus tanti rem momenti aggressus est Augustinus Justinianus O. P. Genuæ natus 1470. postea Episcopus Ne-bionensis in Corsica. Vir hic Orientalium linguarum peritissimus, quas in Academia Parisiensi instauravit, sacra Biblia quinque linguis, Psalmos vero octonis edidit, in totidem columnas divisos: in prima textum hebraicum, in secunda latinam textus *versionem*, in tertia vulgatam, in quarta græcam, in quinta Arabicam interpretationem, in sexta paraphrasin Chaldaicam hebraicis characteribus conscriptam, in septima latinam istius paraphrasis *versionem*, in postrema brevissimas animadversiones, Judæorum potissimum erroribus oppositas collocavit. Alter memoria immortalis dignus fuit Franciscus Ximenius, sacra purpura insignis, & mitra Toletana, natus anno 1457. Hic magno animo, majoreque sumtu grande opus Complutensis Bibliæ, Hebraico, Græco LXX. Interpretum, Chaldaico & Latino textu illustratæ inchoavit, & comparatis ingenti pretio (60000

aureorum, ut fertur) adhibitisque vetustissimis MSSis intra quindecim annos perfecit. Primam illa lucem aspexit doctorum omnium adplausu anno 1517. Aliam vero Philippi II. Hispaniarum Regis jussu & auspicio adornatam Antverpiæ Plantinus celebris typographus anno 1573. excudit. Secuta est Parisiensis Polyglotta anno 1645. decem voluminibus, curante Guidone Michaelè Jayo, Regi Galliarum a Consiliis, ad quam Gabriel Sionita, Joannes Morinus, & Abrahamus Ecchellensis operam suam contulere; Cardinalis vero Richelieus patrocinium indulxit. Istam excepit Anglicana tomis septem constans an. 1660. in cujus frontè quidem nomen suum posuit Briantus Waltonius, (multum indignante Jayo) sed si sextum volumen diversis lectionibus & Criticis animadversionibus conspicuum excipias, vix aliquid a Parisiensi diversum habet. Denique Franciscus de la Haye O. S. F. natus Parisiis an. 2593. Biblia maxima in novendecim tomos distributa, & doctis Nicolai de Lyra, Estii, Tirini, & Menochii commentationibus exornata publico usui exposuit. Quanta vero quamque eximia in S. Scripturam commentaria Critice pepererit, infinitus forem, si omnia enu-

merare vellem : palam faciet cæteris clariora Liber de Theologia. Hoc in loco duntaxat meminisse juvat Duumvirorum, qui omne punctum hoc in negotio tulisse visi sunt. Primus est Cornelius a Lapide S. J. Belga, natus an. 1567. qui totam fere vitam in Biblicis meditationibus consumpsit, & decem tomos commentariorum reliquit : quantus in vastissimo opere isto sacræ eruditionis & doctrinæ thesaurus lateat, facilius est experiri studio & lectione, quam exprimere verbis & calamo. Alter Augustinus Calmet O. S. B. qui pluribus tomis totam exposuit S. Scripturam, adjecto etiam Dictionario Biblico, Historico - Critico - Chronologico, & Geographico : post varias operum horum editiones prodiit Parisiis anno 1726. nova & luculenta, una cum dissertationibus in singulos scripturæ libros, octo tomis absoluta. Uterque horum immortalis laude dignus est : prior excellit aperiendo sensum *literalem*, *allegoricum*, *moralem* & *anagogicum* : posterior admiscendo ubique miram omnis generis eruditionem.



CAPUT IV.  
 OECONOMIÆ ARTIS  
 CRITICÆ  
 CONTINUATIO.

§. I.

*Regulæ Criticæ circa ejus principia.*

XIX.

**E**xposita prima Oeconomix parte ad alteram ut progrediamur, ordo poscit. Consistit hæc in regulis & legibus, quibus recte judicandi facultas, quæ non est nisi ipsa Criticæ, debitos intra fines continetur, tum ut circumspecte, sobrie ac graviter procedat, si quod judicium est ferendum: tum ut non ultra quam par est aut immisceat se rebus, quæ supra se sunt, aut temere ac licenter obvia quævis carpat, & præjudicatis

opinionibus suis infinitum in omnia sacra & profana imperium adfectet. Sunt autem ex his regulis aliquæ, quæ ad principia Critices pertinent, & omnibus communes: aliæ quæ ad singularia ejusdem capita spectant. Porro principia hujus artis esse diximus (u) *Auctoritatem & Conjecturam*. Primum enim, quod Criticus agat, in ferenda super rem quampiam vel factum aliquod crisi, est ut Auctores idoneos, tanquam testes fide dignos adducat, seu tales, qui acri iudicio, magno in vestiganda veritate studio, ac probitate præstanti præditi sunt, procul a fabulis & aura populari. Quodsi, ut sæpe contingit, auctoritas hæc desit, ad conjecturam confugiendum erit, quæ cognitio est, iudiciis tantummodo, non certis argumentis fulta, quæque opinionem probabilem gignit, & rem aliquam etsi non veram, verosimilem tamen esse demonstrat. Hæc talis sit oportet, ut non longe petatur, sed velut e visceribus rei vel facti, nec non e pluribus inter se probe collatis eruatur. Verum quum non pauca sint, quæ nec auctoritate satis firmare, nec conjectura propius adsequi possumus, alia duo prioribus principia adjungere necessum est, nimirum

Tra-

(u) Cap. 1. §. 3. n. 5. hujus libri.

*Traditionem*, ut vocant, & *Consuetudinem* sive usum plerorumque consensione munitum. Nam si quædam a priscis temporibus profecta, per plura secula late propagata, doctorum æque ac vulgi animo infederunt, nec solidis in partem contrariam rationibus convelli queant, magnam sane in Critices regno vim obtinent, & argumentum subministrant, cui temere vel pertinaciter refragari perquam difficile, sapius etiam periculosum est. Quare initium ducam a regulis ad principia Criticæ pertinentibus, ad peculiare postea descensurus ea serie, quæ primæ Oeconomix hujus parti omnino respondeat: quod dum facio, illas leges ac regulas in medium producam conjuncte ac ordinatim, quas a peritis scriptoribus hanc in rem sparsim traditas, nobisque relictas invenio.

## XX.

*Regulæ de Auctorum testimonio.*

I. Facta illustria & celebrata, quæ nihil supra fidem continent, & contigerunt in regione ac patria, ubi Historicus, qui ea narrat, habitavit, tanquam indubia recipi merentur ab illis scriptoribus, vel in quorum conspectu gesta fuerunt,



vel qui a viris fide dignis, aut eodem ævo viventibus acceperunt, maxime si scriptores ejusmodi probitatis ac ingenii fama commendentur.

II. Si eventa quidem publica non sint, nihil tamen fabulosi secum adferant, & acciderint in regione Auctoris ea recitantis, præsertim si testes oculati vel synchroni adducantur, absque hæsitatione ut vero similia admittantur.

III. Si narrentur a scriptore eodem ævo degente eventa paucis nota, licet a communi rerum ordine nonnihil aberrare videantur, & in remotis provinciis contigerint, non iccirco rejiciantur, si non valde gravibus & invictis argumentis evertantur. Credi enim nec debet nec potest, Auctorem vel modicæ integritatis adeo frontis expertem fuisse, ut aliis vendere facta voluerit, quorum falsitatem scriptores alii ejusdem ævi facile potuissent detegere.

IV. Quod si Auctor aliquis sit, de quo aliunde constat, eum plus quam oportet credulum, & fabularum amantiorrem esse, cætera facto se præsentem fuisse testetur, fides ei propterea neganda non est, maxime si scriptores ejusdem  
ata-

ætatis eadem, quæ ille narrat, adnotaverint.

V. Quoties factum aliquod perhibet Auctor unus, quod a multis fide dignis impugnatur, ratio postulat, ut in eam sententiam, quam plures sequuntur, cedamus.

VI. Si unus vel duo historici publicum factum referant, cujus cæteri ne verbo quidem meminerunt, audiendus est is, qui refert, præ illis qui silent. Sæpius enim contingit, ut alii literis non mandent omnia illa, quæ in oculis cunctorum versari sciunt.

VII. Ubi Auctores in facti alicujus narratione variant, explorandæ sunt diligenter eorum adiectiones, an non patriæ, aut Principi suo, vel sibi met ipsis plus sint obnoxii: illosque præferre decet, qui partium studiis aut procerum favoribus non sunt addicti.

VIII. Si duas sententias discrepantes multi e Veteribus tueantur, liberum esto, eam sequi, quæ verosimilior videbitur.

IX. Non redarguendus est Auctor ille, qui priscum aliquem nunc sequitur, nunc deserit, prout res & rerum mo-  
men-

menta postulare videntur. Fieri enim potest, ut Scriptor idem in uno verum, in altero falsum narret, nec facile quisquam, præsertim in opere vasto, semper verum, aut semper falsum dicere credendus est.

*Regulæ de Conjectura.*

I. Ut major vel minor facti alicujus probabilitas eruatur, attendendi sunt conjecturarum fontes & rationes: quo illi puriores, & istæ firmiores erunt, eo major erit probabilitas.

II. Tanto dignior ad sensu erit conjectura, quanto a pluribus sapientum hujusmodi esse agnoscitur. Unde fit, ut conjectura a doctis æque ac indoctis accepta reddat eventum probabilius, quam si ab aliquibus duntaxat admittatur.

III. Ut cognoscatur conjecturæ alicujus æquitas, non est proprio statim ingenio fidendum, sed interest explorare, quodnam sit de illa doctorum hominum judicium; sæpe enim contingit, ut alii sapientes omnino aliter sentiant, & judicent.

IV. Ut argumentum aliquod reddat factum certo probabile, non satis est, nul-

nullam in oppositam partem urgere conjecturam ; sed argumentum ipsum tale sit oportet, ut se solo stet firmum & inexpugnabile.

V. Non est inter probabiles solummodo referenda historia, quæ nititur conjecturis adeo robustis, ut partem adversam explorete convincat. Nam si hoc fiat, humano more quoddam certæ cognitionis genus efficitur.

VI. Auctoritas conjecturæ tum cedere debet, quando hæc recta & justa videtur, adeo ut vel prudentes minimeque occupati homines judicent, auctorem fuisse deceptum, vel ejus assertionem nonnisi futilibus argumentis tueri quis possit.

VII. Ubi narratio & conjectura æquaratione incedunt, non sufficiunt ad probationem destruendam & factum eliminandum argumenta negantia, eg. *non apparet, quomodo id fieri potuerit : suspecta res est : figmentum esse videtur e monumentis supposititiis depromptum, &c.* Sed argumentis agentibus & manifestis opus est, quibus conjectura infringatur.

*Regulæ de Traditione : Et de  
Consuetudine ac Ufu.*

I. Facta historica, quæ ex traditione & usu probantur, nihil vanum, superstitiosum, ridiculum, indecorum, vel inutile contineant, oportet.

II. Talis debet esse consuetudo, ut merito credi possit, Ecclesiam, Episcopos, & illos, qui ante alios eam invexerunt & propagarunt, non sine ratione id fecisse, quamvis ea nos lateat.

III. Quodsi de institutione aut facto dubitandi ratio occurrit, argumenta debent esse clara & certa, aptaque ad falsitatem demonstrandam, ut illud a possessione sua dejiciatur.

IV. Sedulo expendere oportet, num traditiones & consuetudines contineant aliquid usui & temporibus, quibus invaluerunt, contrarium, ac dignitati personarum, quibus facta illa tribuuntur, nequaquam conveniens.

V. Merito fides negatur traditionibus, moribus, & factis historicis, de quibus constat, fuisse oppugnata & rejecta a scriptoribus ejusdem ævi, aut aliis, quo-

quorum tanta est auctoritas, quæ falsitatem nobis persuadere possit.

VI. Si deprehendantur in traditione vel consuetudine aliqua inter se pugnantia, diligenter examinandum est, num ea afficiant rei summam, vel duntaxat adjuncta quædam, quæ a facto præcipuo dissidere videntur.

VII. Denique quod probe notandum, etsi traditio vel consuetudo non foret in omnibus conformis hisce regulis, nec satis probata, non ideo agendum est, ut supprimatur vel abrogetur, quando ejus abrogatio majoris mali & offendiculi in populo causa foret, quam tolerantia.

§. II.

*Regulæ Criticæ circa Manuscripta & Artes liberales.*

XXI.

*Regulæ de Manuscriptis & Antiquitate Codicum.*

I. **A**nte omnia opus est illi, qui in manuscriptis emendandis, & integritati suæ restituendis operam collocat, ut veterem orthographiam, literarum

rum ductus, vocum & syllabarum contractiones ac syncopes penitus calleat, quemadmodum monet Mabillonius (x)

II. Si quid mutandum esse videtur, id orationis series & stilius scriptoris, cui quod scriptum est non convenit, postulare debet.

III. Ipsa emendandi ratio linguæ, ingenio, & scriptoris stilo consentiens esto, nec a lectione veterum Codicum nimis recedito.

IV. Depravatæ scripturæ ratio redatur, quantum fieri potest, ut Manuscriptum corrigendi necessitas & justitia palam fiat.

V. Si inter codices impressos & manuscriptos reperitur diversitas, posteriores prioribus sunt præferendi, nisi satis certa ratio aliud suadeat.

VI. De omnibus quidem, quæ ex MSSis hauriuntur, mentionem facere licitum est in Notis lucubrationi alicui adjectis, nulla tamen ex MSSis hausta lectio, nisi manifesta sit, in orationis contextum ipsum adferatur.

VII.

(x) *De stud. Monast. part. 2. C. 12.*

VII. Libri impressi nulli reperiuntur ante annum 1450. quum ante hunc nondum inventa fuerit ars typographica. Codices vero Manuscriptos papyraceos nullos est invenire ante annum 1350. & paucissimos tantum ante annum 1400.

VIII. Manuscripta, in quibus supra jota reperiuntur puncta, censentur esse scripta non ante seculum decimum quintum, immo vix ante medium illius, quum ante annum 1400. fere nulla talia existent puncta, sed tantum virgulæ longiores hoc modo: *inimicus*. Immo sub initium seculi XV. solebant poni solum contractiores virgulæ, ac dein circa annum 1450. immisceri lineolis puncta, donec tandem circa annum 1460. mera puncta fieri consueverint.

IX. Manuscripta, in quibus supra jota reperiuntur virgulæ seu lineolæ, non censentur esse scripta ante annum 1250. seu medium seculi decimi tertii. Quippe ante annum 1250. supra jota nec puncta ponebantur nec virgulæ: post annum vero 1250. usque ad annum 1300. nonnunquam conspiciuntur tales virgulæ, sic ut librarii tria aut quatuor jota sine virgula transferint, donec rursus unum illa insignierint.



X. Codices, in quibus sunt frequen-  
tes, quas vocant *abbreviationes*, non cen-  
sentur esse scripti ante seculum XV. quo  
hic modus scribendi primum invaluit,  
postquam papyrus cœpit fieri commu-  
nior.

XI. Codices seculi XIII. sunt tenuis  
calami, & elegantis characteris, sed Co-  
dices seculi XI. & X. plerumque crassio-  
ris. At Codices seculi IX. & VIII. ha-  
bent literas alphabeticas formæ pinguis  
& flammæ, ubi videlicet ductus sunt  
recti, sed a regula aberrantes, & admo-  
dum crassi.

*Regulæ Grammatices, seu linguæ  
Latinae.*

I. Proprium Grammatici officium est,  
de integritate ac potestate vocum & ver-  
borum, deque latini sermonis genuina  
indole ferre iudicium: legitima scripta  
secernere a spuris: vitiosa emendare, an-  
tiqua eruditis illustrare notis.

II. Vocabula potestatem ac pretium  
non solum a vetustate, sed etiam & ma-  
gis ab auctoritate scriptorum insignium  
accipiunt, qui vel primi invenerunt, vel  
prios in usum deduxerunt. Hinc

III. Fal-

III. Falluntur, qui nullas voces in sermonem latinum admittere volunt, nisi aureæ argenteæve ætatis, nisi Ciceroniana & Liviana. Multæ his defunt, quæ tamen necessariae sunt ad recte loquendum de disciplinis & artibus, postmodum ab aliis primum excultis.

IV. Ita melius loquimur de re cœquinaria cum Apuleio & Apicio, de re rustica cum Columella, de militari cum Vegetio, de medica cum Celso, de architectonica cum Vitruvio, de technicis cum Pexensfeldero & Pomey, utpote qui ex instituto de his scripserunt.

V. Nova vocabula non sunt adhibenda, nisi necessitas, vel auctoritas, aut utilitas manifesta id suadeat, & veluti cogat.

VI. Oportet nosse dotes linguæ latinæ, quæ sunt 1. Proprietas. 2. Elegancia. 3. Copia verborum.

VII. Sermo latinus non solum debet esse emendatus, sed etiam elegans: elegantiam autem conciliant 1. Aptus particularum, præpositionum, proverbiorum, conjunctionum, &c. usus. 2. Verborum collocatio recta. 3. Flores latinitatis sed

phrases selectæ. 4. Idoneus partium omnium nexus.

VIII. Ante omnia curandum est Grammatico, ut mature stilum sibi comparet quam optimum: comparatur autem lectione præstantium auctorum, sedula imitatione, & frequenti exercitatione.

IX. Nihil magis obest in studio Grammatices, teste Quintiliano, quam festinatio in informanda adolescentia.

X. Errant, qui neglectis regulis sola classicorum Auctorum lectione addisci posse ac debere linguam latinam contendunt.

XI. Publicæ scholæ ad instituendam juventutem pluribus titulis anteferendæ sunt privatæ instructioni, ut late ac solide probat Quintilianus, & ipsa confirmat experientia.

### *Regulæ de Poetica.*

I. Poetæ officium est delectare & prodesse: quorum primum fit tum fictionibus ingeniosis, tum descriptionibus jucundis: alterum instruendo mores exemplis & sententiis, iisque absterrendo a vitiis, & suadendo virtutem ac pietatem  
in

in superos, uti patet ex Homero & Virgilio.

II. Proscribendi sunt e Republica Christiana Poetæ obscœni, utpote prorsus degeneres a fine Poeseos. Nam ipsorum delectatio nonnisi inhonestissima est, & utilitas non alia, nisi morum perversitas. Hinc si quid boni habent, corrigantur separando bona a malis, nec nisi correcti permittantur juvenum lectioni.

III. Ut finis Poeseos obtineatur, delectatio quæri debet per numerum & harmoniam versuum, per descriptiones, dictiones figuratas, narrationes mirabilium eventuum, ac per fabulas facti principali accommodatas: utilitas vero per salutaria monita brevibus & exquisitis sententiis exornata, per morum præcepta, & latentes sub fabulis veritates.

IV. Poetarum characteres sunt: ingenium fertile ac penetrans: judicium maturum & vivax: facilis ac fluida vena.

V. Noscere oportet virtutes dictionis, & stili poetici. Dictio seu stili requirit fortes exprimendæ rei formulas, numerum & harmoniam versuum, epi-

thetorum gratiam, descriptionum amoenitatem, sententias graves, affectus cujusvis rei naturæ convenientes.

V. Diversa poematum genera exigunt diversas dotes: Epicum requirit unam & heroicam actionem: debet esse perfecta virtutis imago: excelsum ubique ingenium appareat necesse est.

VI. Tragœdia debet emendare prævios motus animi, & ad virtutem excitare: præcipue vero affectuum perturbationes in reliqua actione tragica excitatas exitus corrigat oportet.

VII. Comico necessaria est intima cognitio morum in vita communi, & artificium eos imitandi.

VIII. Elegia debet esse bene morata, eruditione dives, & in animorum motibus sciendis potens ac dominans.

IX. Lyricorum carminum indoles seu in argumento seu in stilo mediocritatem respuit: quidquid nobilissimarum cogitationum, imaginum & sententiarum habet poësis in supellectile sua, hoc genus carminis exquirat.

X. Nemo facile ad artis hujus culmen eluctatur, qui non numine quodam afflatus & cœstro poetico sit percitus.

*Re-*

*Regulæ de Rhetoricâ.*

I. Rhetorem perfectum natura inchoare, ars absolvere debet, id est, qui excellens orator esse cupit, a natura instructus esse debet quadam eloquentia, quam postea studio & arte perficiat.

II. Rhetoricæ Alumni mature declamando exerceri debent, ut arma tractare, vultus hominum præsentium ferre, ac totius corporis & oris habitum componere discant.

III. Judiciale genus argumenta fortissima, amplificationes graves, & affectus vehementes poscit.

IV. Deliberativum intimam cognitionem honesti, utilis, ac necessarii, quæ in totam orationem influat: in dicente autem auctoritas, & boni publici studium elucere debet.

V. In Exornativo opus est, ut orator facti laudem ac vituperium per omnes Rhetoricæ locos, & eloquentiæ gradus ad summum apicem evehere noverit.

VI. Ad inventionem ingenium acutum, ad dispositionem ordo industria comparatus, ad elocutionem splendor &

dignitas sermonis, ad memoriam fidelitas, ad prononciationem vocis & corporis habitus quam decentissimus exigitur.

VII. Exordium docere debet, ac benevolentiam excitare: Narratio viam ad argumenta sternere; confirmatio & confutatio expugnare auditorum animos, Peroratio autem triumphare.

VIII. Dicendi genus sublime quamdam rationem cogitandi nobilem & magnificam exigit, verba magnitudini cogitationum respondentia, & figuras sententiarum plenas vitæ ac vigoris.

IX. Dicendi genus subtile tres characteres habet: claritatem, simplicitatem, ac brevitatem; sed quo facilius hoc apparet, eo difficilius est, tectumque habet artificium.

X. Dicendi genus moderatum est inter subtile, ac sublime medium, illius acumine, & hujus fulgore minus: sed gratam temperiem ac indolem ornatam, politam, & in animos suaviter se insinuantem præsefert.

XI. Vitia stili cavenda sunt: ne sit inflatus allegoriis & metaphoris: ne sit humilis, res minutulas avidius describendo, vel verba sine delectu & sine structu-

Aura adhibendo : ne sit puerilis, id est, ineptis digressionibus, & figurarum pampinis luxurians : ne scholam oleat, & omnes locos Rhetoricos, ac figurarum angulos excutiat : ne sit Poeticus, seu ad numeros, pedum mensuram, atque vocum harmoniam compositus.

## §. III.

*Regulæ Criticæ circa Philologiam,  
& Historiam sacram &  
profanam.*

## XXII.

*Regulæ de Re Numaria.*

I. **P**rimo omnium oportet comparare exactam notitiam numerorum tum Romanorum, tum Græcorum, tum Hebraicorum, quantum adinet ad diversitatem materiæ, formæ, ac valoris.

II. Tum indagare oportet in originem numismatum, quam duxerunt ab imaginibus e cera vel lapide formatis Deorum primo, tum etiam Semi-Deorum, Regum & Imperatorum.



III. Nosse oportet ætates & periodos numismatum, quarum prima fuit apud Romanos a tempore Servii Tullii Regis: altera ab initio regiminis Gothici: tertia ab excidio barbaricæ dominationis.

IV. Pretium & æstimatio numismatum desumenda est tum a materia, tum ab historia, tum a cœlatura.

V. Debet esse perspectus ordo numismatum. Sunt enim quinque classes: 1. Regum. 2. Civitatum & coloniarum. 3. Consulium. 4. Imperatorum. 5. Deorum, Dearum, aliorumque Heroum.

VI. Requisita ad hoc studium sunt: 1. Notitia Græcæ ac Romanæ Historiæ. 2. Geographiæ & Chronologiæ veteris & novæ. 3. Scriptorum de Antiquitatibus. 4. Inspectio numismatum. 5. Peritia discernendi inter ficta & vera numismata.

VII. Discernuntur autem multiplici ratione: 1. E bonitate metalli veteris, cui non æquatur novum. 2. Ficta numismata sunt igne liquata & fusa, quum antiqua sint malleo subacta. 3. E figuris, quæ in fictis non sunt tam accurate ac scite fabrefactæ. 4. Ex characteribus inscriptionum non ita graphicis. 5. Ex fre-

frequenti dissensione partis Aversæ, & Adversæ.

VIII. Distinguendum probe inter partem Aversam & Adversam. Pars *aversa* continet effigies Deorum, Imperatorum, Regum, Consulum, &c. una cum variis ornamentis, quæ gestant vel in capite, vel in manibus, vel juxta se posita habent. Pars *aversa* vero continet quinque classes rerum. 1. Inscriptiones. 2. Varia instrumenta. 3. Animalia. 4. Figuras. 5. Signa militaria & coloniarum.

IX. E numismatibus rite inspectis cognoscuntur 1. Familiæ Romanæ. 2. Magistratus. 3. Prorogativæ & tituli Imperatorum, Regum, &c. 4. Res præclare gestæ domi forisque.

X. Necessarium denique est, nosse characteres & notas compendiaras, quæ in numorum inscriptionibus perpetuo occurrunt.

### *Regulæ de re Diplomatica.*

1. Magna prudentia & moderatione opus est ad censuram ferendam Viris etiam doctis, qui vetera instrumenta ad legum apices examinare velint, nec cuivis

vis in re Antiquaria utut erudito id temere tentandum.

II. Semper cum favore judicandum, ubi res longa possessione firmata est, uti leges Civiles & Canonicae præcipiunt.

III. Non ex sola scriptura, neque ex uno solo characterismo, sed ex omnibus simul de vetustis chartis pronuncian- dum.

IV. Unus alterve error aut mendum, modo substantiam diplomatis non adficiat, legitimis cæteroqui autographis obesse non debet.

V. Vitia ad substantiam pertinentia censentur: si nomina personarum, quæ post datum diploma vixerunt, in eo expressa, aut in subscriptionibus prima manu exarata reperiantur, aut earum mentio fiat, quæ longe ante illud tempus vita functæ sunt: si contextus omnino sit vitiosus, nec sibi cohærens: si monogrammata inepta, & ab usu temporum illorum abhorrentia conspicienda se præbeant: si sigilla adulterata deprehendantur.

VI. Historicorum aut Inscriptionum antiquarum testimonia legitimis chartis præ-

præjudicium facere non debent, ita ut illorum præferatur auctoritas, nisi ex illis manifestus error personarum, rei gestæ, aut temporis demonstrari possit.

VII. Additamenta *Incarnationis*, *Indictionis*, *Glossæmatum*, aliorumque similibus, maxime in exemplis seu apographis, non officiant Instrumentorum veritati.

VIII. Discrimen faciendum est inter verba *Datum* & *Actum*, quæ in formulis diplomatum sæpe comparent. Secundum enim notat tempus, quo a Principe concessum est beneficium, privilegium, &c. ejusque voluntas fuit significata: primum vero tempus, quo scriptura conceptis verbis in Curia aliove loco fuit expedita. Fieri enim potest, ut alio tempore, aliove loco Princeps mentem suam declaret, & favorem impertiatur: alio autem tempore, aliove loco ipsius literæ vel diplomata circa negotium illud scribantur, & conferantur. Quare neutiquam falsæ vel adulteratæ scripturæ signum est, si tempus & locus *Acti* & *Dati* inter se non concordent. Sæpius quippe contigit, ut res Acta fuerit in Germania, ubi tunc Imperator præsens erat,

erat, Data vero primum eodem in Italia commorante.

*Regulæ de Philosophia.*

I. Ad Philosophum pertinet cognitio Univerſi, adeoque omnium, quæ ſupra ſe, infra ſe, & circa ſe ſunt.

II. Aſſequitur hoc neque ſola ratione, neque ſola experientia: nam experiri & philoſophari duo ſunt diverſa. Hinc utraque jungatur oportet, & Philoſophia, ut ſit genuina, debet eſſe *rationalis* & *experimentalis*.

III. Experientia non ubique locum habet, quum multa ſint, quæ ſenſibus percipi non poſſint: ratio tamen omnibus aſſeſſe debet, etiam experientiæ, quæ ſine rationis adminiculo facile in errorem inducit: ſine ratione infirma eſt philoſophia, ſine experientia ſterilis & jejuna.

IV. Veritatis criterium in Philoſophia quatuor modis acquiritur, ſcilicet per intimam conſcientiam, per ratiocinationem, per ſenſus externos, & per auctoritatem.

V. Conſcientia ſeu perceptio intima, quæ conſiſtit in quadam vi & facultate, qua

qua mens se ipsam veluti penetrat & cognoscit, suarumque operationum ac mutationum sibi conscia est, certum reddit Philosophum de veritate eorum iudiciorum, quæ mens concipit circa propriam existentiam, cognitiones, adpetitiones & adfectiones doloris, gaudii, iræ, &c.

VI. Per ratiocinationem sive rationis usum, si neque in illius forma, neque in materiæ nexu erratum fuit, certissimus evadit Philosophus, se in conclusionibus inde ratiocinando deductis falli omnino non posse, uti ex syllogismi principiis demonstratum est.

VII. Sensus externi objectis sibi rebus rite adplicati sunt ingens veritatis adminiculum & criterium, ubi agitur de rerum objectarum existentia, adfectionibus, qualitatibus, & relationibus ut vocant sensibilibus: dirigendi tamen sunt ratione ac consilio.

VIII. Dogmata naturalia nec antiquitas, nec novitas Auctorum, sed ratio metitur ac æstimat: hinc tantum in Philosophicis valet Auctor, quantum ratio, quam adducit. Doctoribus tamen classicis ac Viris claris plurimus honor debetur, nec temere ab eorum doctrina recedendum.

dendum est, utpote pro quibus stat præjudicium, quod rem optime examinaverint atque perpenderit.

IX. Caveat Philosophus, ne omnia, quæ sine rationis distinctione explicari non possunt, re ipsa esse distincta sibi vel aliis persuadeat.

X. Quum corpus physicum sit objectum physicæ, non debent statui prima corporum principia mere logica, seu entia rationis, sed *physica & realia*, ut adpellant.

XI. Quamvis omnia corpora mechanismo constant, quamdam tamen vim & virtutem viventibus inesse statuendum est, qua agantur & agant, ne mera sint automata, sine artificis & motoris, qui foris adsistat, manu mortua.

XII. Omnia ratiocinationi tribuere, nihil experimentis, vel vicissim, peccatum est philosophicum: utrumque grato fœdere conjungi debet, & unum adjuvari ab altero.

XIII. Incomparabile bonum Philosophiæ ratiocinatio est, ad Aristotelis methodum, seu ad regulas syllogisticas conformata. Sine hac multa loquetur Philosophus, Medicus, Jurista & Theologus,  
sed

sed parum, immo nihil unquam rite concludet.

XIV. Quamvis Philosophia sit extra fidei divinæ sphaeram, nihil tamen asserere debet fidei repugnans, aut inconveniens, quum illa facile, hæc nunquam fallere aut falli possit: immo Philosophia fidei ancillare debet, ac meminisse, se Christianam esse, non ethnicam.

XV. Systemata Philosophica non debent condi ex arbitrio rationis & proprii judicii, opinionis, aut phantasiæ, sed ex ductu certorum experimentorum, & constantium effectorum per rationem inter se & cum primis principiis conciliatorum; quoniam ut in proverbio est: *Natura uniformiter operari solet.*

XVI Cavendum his maxime temporibus, ne Philosophia in Mathesin fere tota abeat: hinc male adhibetur methodus demonstrationum geometricarum, quæ cum opinionum mere probabilium natura & indole neutiquam concordant: pauca ingenia ejusmodi philosophiæ sunt capacia, plurima sub hoc onere fatiscunt.

XVII. Optimus Philosophus est, non qui semper vere (quod sperari non potest) sed qui verisimillime in omnibus ra-



tiocinatur. Hinc optima quoque est Philosophia Eclectica.

XVIII. Non sufficit Philosopho cognoscere ea, quæ supra se, infra se, & circum se sunt, seu Megacosmum; sed debet etiam cognoscere, quæ intra se sunt, seu Microcosmum, id est, se ipsum. Hinc opus est præter Philosophiam naturalem etiam morali seu Ethica: illa enim est ars ratiocinandi: hæc vivendi teste Tullio, & irformat animum ac mores, docetque regere se ipsum & alios, atque ad felicitatis veræ apicem ducere.

*Regulæ de Historia sacra &  
profana.*

I. Expendendum est, num Historicus ea probitate atque integritate præditus sit, ut hominibus imponere velle nequiverit, dum aliqua vel ipse se vidisse, vel ab aliis, qui viderunt, accepisse testatur.

II. Reliquis ii Historici sunt anteferendi, qui ingenii severitati prudentiam adjunxerunt ad eligendum & judicandum.

III. Ante omnia quum quis ad Historicos legendos accedet, qui primi rem vel factum aliquod prodiderunt, de illorum  
in-

ingenio, facultate, religione & moribus, ac negotiis investigabit.

IV. Examinandum est, quam hic vel iste in rebus, quas narrat, partem habuerit; quo seculo, qua ratione, quo animo scripserit: num iis aut personis aut rebus, de quibus agit, synchronus fuerit.

V. Interest nosse, an Auctor fons fuerit, e quo alii narrationem hauserunt; an vero ipse ab aliis eam mutuatus sit: num privatus scripserit, vel in officio constitutus, & quidem tali, ubi ad tabularia & Acta publica accessus ei patuit.

VI. Videndum, an opiniones amet singulares, vel potius in vulgaribus acquiescat: an a nominis celebritate & a fama publica suffragium ferat, nec ne.

VII. Merito fides adhibetur scriptori, cujus narratio convenit cum pluribus, maxime ejusdem ævi, nisi gravis suspicio sit, eam a pluribus ex eodem fonte minus sincero haustam, descriptamque fuisse.

VIII. Si in plerisque aliis, quæ narrat Auctor fide dignus, verax esse deprehendatur, judicari potest, eum in recensendo hoc vel isto facto, licet prima fronte

admiratione potius quam fide dignum videatur, fallere non voluisse, ac hominis veritatem amantis famam periculo exponere.

IX. Attendendum sedulo in scriptoribus, qui facta, quæ narrant, ex aliorum libris vel testimoniis depromunt, attendendum inquit, quales testes adducant: Auctoritas testis oculati plerumque præferenda est testimonio auriti: possunt tamen quandoque eandem mereri fidem. Testes coævi præhabeantur non coævis; immo unus coævus pluribus, qui multo post vixerunt, potior est.

X. Testis, qui vel semel malitiose mendax reprehenditur, in cæteris etiam fidem non meretur: & quamvis iccirco omnia, quæ narrat, absolute rejici non debeant, suspicionis tamen notam, ne fallat, perpetuo secum circumfert.

XI. Factum non ideo statim reprobandum, quod moribus & opinionibus præsentibus adversetur, aut contineat id, cujus caussa nos latet, aut ab aliis contrarium adstruatur, sed majore solertia est examinandum.

XII. Modus narrandi oratorius, & inflatus, ac nimia stili cura fidem historici suspectam reddere potest.

XIII. Si cui historico auctoritatem tribuit Ecclesia, hic procul dubio dignus est, cui nos etiam auctoritatem adjungamus: contra vero, cui Ecclesia derogat fidem (quemadmodum Auctoribus in Gelasii decreto enumeratis) ei quoque nos fidem jure ac merito denegamus.  
(y)

§. IV.

*Regulæ Criticæ circa Theologiam,  
Patres & Concilia.*

XXIII.

*Regulæ de Theologia.*

I. Absit, ut animo nimium curioso, ac ingenii insolentia inflato ad hoc studium, & arcana fidei rimanda introspiciendaque accedatur.

II. In ipso limine de subsidiis ad Theologiam necessariis sibi mature prospiciat  
fa-

(y) *Melch. Canus de loc. Theol. L. II.  
Cap. 6.*

facræ hujus scientiæ Alumnus, videlicet informando animum locis Theologicis, & notitia sufficiente Conciliorum, Patrum, & Historiæ Ecclesiasticæ.

III. Theologi est, ut placita doctrinæ suæ probet atque confirmet inprimis auctoritate S. Scripturæ ac Traditionum, tum etiam Conciliorum & Patrum.

IV. Nulla opinio velut fidei caput adstruatur, de qua minime pronunciavit Ecclesia. Quando autem in varias scholæ opiniones Theologi scinduntur in rebus, quæ nec Scriptura, nec Ecclesia, nec Patrum consensus, aut manifesta ratio nobis patefacit, magna quidem sentiendi libertas conceditur, nec in unius Magistri verba jurare opus est.

V. Ne autem libertas hæc noxia evadat, inter diversas & contrarias scholæ opiniones Theologus eam seligat atque sequatur, quæ magis ad fidei placita, & ad normam loquendi, qua Patres & Doctores utuntur, quæque in scholis recepta est, accedere videbitur.

VI. Ratio neququam excludenda est a Theologia, sed potius in auxilium vocanda, his tamen legibus: 1. Ne auctoritati præferatur, hac passim neglecta:  
ne-

neve plus illi tribuatur, quantumvis firma adpareat, si obistere videatur auctoritas non solum Scripturæ ac Conciliorum, sed etiam partis longe majoris Patrum. 2. Ne nimis curiose ac temere in divinitatis secreta penetrare conetur, sed foris exspectet quietam, ubi de profundissimis agitur fidei mysteriis. 3. Ut muneri sui partes diligenter impleat, committendo sanctam fidem, eam tuendo adversus hostes seu hæreticos, amicis vero seu Catholicis demonstrando, fidem rationi convenientissimam esse. 4. Ne licentius vagetur, & in quæstiones inanes, argumenta frivola, & quod pejus est, in sophisticas artes abeat.

VII. Oportet dissensiones fugere, ac impetus animi frenare, quibus nimium studiose inter disputandum eminere nitimur. Hinc in tam sacro limine arcendi clamores a Doctorum confessu, & a disceptationibus etiam necessariis lites, quarum tota difficultas in dubiis sæpe vocibus sita est: multo magis omnis quoque verborum contumelia & vana ostentatio qua voce qua calamo procul absit.

VIII. A novis vocabulis & opinionibus heteroclitis in Theologia maxime cavendum est, iisque duntaxat utendum,

quæ Ecclesia Dei, Patres, & Theologi Catholicæ longa consuetudine quasi consecraverunt: potius connitendum, ut quæ hætenus ob sublimitatem suam obscurius tradita fuerunt, clarius explicentur, & captu faciliora reddantur.

IX. In disputationibus syllogistica argumentandi forma neutiquam prætermittatur, utpote omnium optima ad rite concludendum, & sine qua plurima dici solent, quæ non sunt ad rem, ac disputationes abeunt in conciones & cathedræ scholarum in exedras templi.

X. Tametsi jucundior, minusque sentitiosa, & merito colenda sit disciplina dogmatica, scholasticam tamen præire ante se postulat. Oportet enim Theologum in scholarum acuminibus bene versatum esse, atque illa funditus percipere, si ad aliquod dogma ponderibus suis examinandum accedat, & artes versutiasque hæreticorum deprehendere, easque impugnare atque refellere velit.

*Regulæ de legendis ac intelligendis Patribus.*

I. Priusquam Patris alicujus lectioni opera detur, multum proderit, ejus ingenium

nium, mores, gesta, & tempus, quo vixit, nosse : item indagare, quænam ipsius opera genuina sint, quænam supposititia, ne scoria auri loco obveniat.

II. Patres, etiam quum singulares sunt in aliqua opinione, non facile damnandi sunt erroris, sed eorum dicta meliorem in partem cum reverentia exponere, & reliquis recte aut melius sentientibus conciliare oportet.

III. Observandum est, quo seculo, quave occasione scripserint, quoniam res nonnullæ in Ecclesia tunc nondum erant definitæ, uti nunc esse videmus.

IV. Illud quoque attendendum, quo loco quædam protulerint, quæve scribentis ætas fuerit. Alium enim sensum & vim habent ipsorum verba ad populum dicta, aliud in rigore scholæ accepta.

V. Animadvertere oportet, contra quos egerint Patres : aliter enim contra Arianos, aliter contra Nestorianos, contra Pelagianos aliter loquendum ipsis, pugnandumque fuit.

VI. Patres non eadem, sed diversa scripsere lingua : aliud autem sæpe verba græce, aliud latine sonant.



VII. Si quæ apud Patres dubia vel obscura occurrunt, interpretanda sunt ex iis, quæ certa sunt & clariora: si quis vero e Patribus dissimiliter de eadem re locutus est, postremæ citius, quam priori sententiæ subscribendum erit.

VIII. Ille, qui Patribus legendis operam dat, simul præ oculis habeat Ecclesiæ ac Pontificum definitiones, nec has, quæ clarissimæ sunt, & falli nesciam habent auctoritatem, ex illis, sed illos ex istis explicet, ac in meliorem partem interpretetur.

IX. Invidiosa est Patrum comparatio, qua unum supra alterum ita extollas, ut illi adhæreas cum reliquorum quasi contemptu.

X. De doctrina Patris alicujus sententia ferenda est ex illis locis, in quibus data opera rem examinavit.

XI. Quoties doctrinæ caput in quæstionem vocatur, audiendi præ aliis sunt illi Patres, qui magis Theologos, quam Philosophos aut Oratores egerunt.

XII. Auctoritas unius, aut etiam aliquorum Patrum subministrat quidem argumentum magni ponderis, dignumque attentione: verumtamen non nisi probabile,

bile, quod quidem despiciere & pro nihilo habere impudentis est, id vero habere pro certo omnino, imprudentis.

XIII. Omnium etiam Patrum auctoritas in eo genere quæstionum, quæ dogmata fidei non sunt, neque ex illis derivantur, fidem quidem omnino probabilem faciunt, non tamen certam.

XIV. Unanimis SS. Patrum consensus, si de sacrarum Literarum expositione, aut de re ad fidem & bonos mores pertinente agatur, argumentum præbet Theologo ad assertiones suas corroborandas omnino certum & falli nescium.

XV. Unanimem autem consensum non ea, qua Mathematici solent, accuratione debemus æstimare, sed eo, qui in rebus moralibus usuenit, modo, scilicet ut sit consensus omnium, vel fere omnium.

### *Regulæ de Conciliis.*

I. Oportet informare animum generali quadam idea eorum, quæ occurrunt in Conciliis animadversione digna, uti sunt origo, utilitas, & finis Conciliorum: locus, tempus, numerus & dotes præsentium: causæ convocati Concilii, & illius exitus, ac canones & decreta.

II. Ju-

II. Juvat cognoscere ordinem & formam Conciliorum, atque diversitatem, quæ inter *Oecumenica* & *non Oecumenica*, inter *Generalia* & *Particularia*, inter *Nationalia* & *Provincialia*, *Legitima* & *Reprobata* intercedit.

III. Auctoritatem & potestatem Conciliorum tria sunt, quæ stabiliunt, scilicet denunciatio & convocatio a Pontifice facta, vel certe hujus confirmatio: Patrum cura & industria in definiendo: confirmatio Papæ.

IV. Distinguendum est diligenter inter decreta fidei, & morum. Fidei decreta revocari nequeunt: nam *fides irreformabilis est*, ut ait Tertullianus. Morum decreta revocari possunt, & aliquando revocantur: *Plenaria etiam Concilia emendari priora posterioribus* effatum est D. Augustini. (z)

V. Porro regulæ, quibus ea, quæ tanquam res fidei a Conciliis statuuntur, a reliquis dignoscantur, quæ sunt extra fidei spheram, quatuor sunt: 1. Si hæretici esse declarentur, qui contrariam opinionem tueri audent. 2. Quando synodus hac loquendi præcipiendique formula

(z) *Lib. 2. de Bapt. C. 3.*

la utitur: si quis hoc aut illud senserit, *anathema* sit. 3. Si in eos, qui contradixerint, sententia ipso jure fertur, qua fidelium cœtu excluduntur. 4. Si non opinando duntaxat, sed certo firmoque decreto, ac verbis disertis aliquid tanquam fidei dogma tenendum fidelibus proponatur, aut simili modo Evangelio doctrinæque Apostolorum esse contrarium declaretur.

VI. Quodsi vero in Conciliorum ac Pontificum decretis quædam reperiantur, quæ vel rei explicandæ gratia adjiciuntur, vel ut adversariorum responsis obviam eatur, vel præter institutum instar episodii addantur, ea non pertinere ad fidem, nec Ecclesiæ Catholicæ judicia esse censet communis Theologorum sententia.

VII. In morum doctrina, eorum scilicet, qui ad salutem necessarii sunt, vel ad universæ Ecclesiæ disciplinam spectant, Conciliorum decreta ab omni erroris suspicione absolvenda sunt. Nam instar principii tenendum est, Deum non deficere in necessariis; quod sane fieret, si Judices ac Doctores Ecclesiæ in rebus ad salutem necessariis errori paterent.

VIII. In

VIII. In doctrina morum, qui ad pietatem & salutem necessarii non sunt, nec toti Ecclesiæ communes, sed ad homines privatos vel Ecclesias referuntur, Concilia ab omni errandi periculo exempta non censentur.

## §. V.

*Regulæ Criticæ de Actis Sanctorum, Traditionibus, & S. Scriptura.*

## XXIV.

*Regulæ de Actis Martyrum, aliorumque Sanctorum.*

Quum acta Sanctorum vel tradita sint a Majoribus, & in posteritatis memoria & corde conservata, vel ab auctoribus descripta ad nos pervenerint, consentque potissimum factis mirandis, aut omnino supra naturæ vires positis, de his omnibus regulæ quædam sunt statuendæ.

I. *De Traditionibus & Scripturis.*  
Id, quod in traditione positum esse dicitur, diversis temporibus & locis proditum sit oportet, & a pluribus exploratæ fidei Viris, qui producantur in testes.

II. Scri-

II. Scriptores si non verbis, certe sensu convenire debent in testimonio, quod perhibent de re, quæ per traditionem tradita est.

III. Hi Scriptores ad rei gestæ originem, quæ veritatis caput est, continua serie reducantur.

IV *De factis & miraculis.* Si factum, licet mirum, narret scriptor cœvus (præsertim si vidisse se vel audivisse a fide dignis testetur) de cujus sinceritate & auctoritate aliunde satis constat: vel si plures non multum ætate remoti in ejus narratione conveniant, fides merito illi adstruitur, si non absurdi quid aut superstitiosi contineat.

V. Facta mira & miracula talia sint oportet, quæ sensibus patere, & de quibus oculi ipsi judicium ferre potuerint, aut, ut in præfagitionibus occultis contingit, proprio sensu experimentum capiatur, & eventus respondens palam fiat.

VI. Exstent eorum monumenta publica, vel ceremoniæ ad posteritatis memoriam institutæ, uti sunt festi dies & ludi, columnæ, tabellæ pictæ, marmora cum inscriptionibus, templa, aræ, &c.  
quæ

quæ omnia vel ipsum factum repræsentent, vel ejus memoriam celebrent.

VII. Hæc monumenta atque has ceremonias ortum duxisse ostendi debet vel eo tempore, vel non procul ab illo, quo res ipsa seu factum aut miraculum contigit.

*Regulæ de Traditionibus, &  
S. Scriptura.*

I. *De Traditionibus.* Ne Phariseorum instar traditiones nostras quasi divinas & Apostolicas promiscue venditemus, sed ut veras a falsis, ita ab humanis divinas secernamus, statuendum est cum Augustino: (a)

*Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Tale est consuetum per quadraginta dies Christi exemplo jejunium.

II. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem summa concordia tenuerunt, & quod huic contrarium est, damnarunt, quin illius testimonium in S. Scriptu-

(a) *Lib. 7. contra Donatistas. C. 24.*

ptura reperire sit, id nimirum per Apostolicam traditionem haberi ab Ecclesia censendum est, quemadmodum perpetua Deiparæ virginitas, & descensus Christi ad inferos.

III. Si traditio sit talis, ut ejus materia Ecclesiæ auctoritatem sive potestatem excedat, sicuti quod aqua miscenda sit in calicis consecratione, dubium non est, quin hæc traditio originem divinam habeat.

IV. Si de communi Patrum consensu circa traditionem aliquam, num divina sit, nec ne, nondum constet, prout contigit circa doctrinam de baptismo hæreticorum iterando, quem impugnabat S. Cyprianus, confugiendum est ad Ecclesiæ judicium, tenendumque pro traditione divina, quod in S. Literis non quidem expressum, tamen ut fidei dogma ab Ecclesia recipitur.

V. *De S. Scriptura legenda & intelligenda.* Ad sacrarum Literarum lectionem non adferatur animus curiosus, criticus, & superbus: nam *qui vanus est scrutator majestatis, opprimetur a gloria.* (b) sed docilis & religiosus, qui &

(b) *Prov. C. 25.*



& veritatis percipiendæ, & profectus in virtute hauriendi studium utrumque conjungat.

VI. Quo facilius eruatur genuinus scripturæ sensus, omnium prima sit cura, ut loci cum locis, vetus testamentum cum novo, dubia cum certis, obscura cum manifestis conferantur.

VII. Diligenter observare oportet, a quibus, quomodo & in quibus circumstantiis ea proferantur, quorum difficilior est intelligentia.

VIII. Si quid vero velut absurdum moverit Scriptura, inquit D. Augustinus, non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed aut Codex mendosus est, aut interpret erravit, aut tu non intelligis.

IX. Advertendum, quædam in Scriptura ordine præpostero recenferi; quandoque scilicet posteriora prius, quandoque priora posterius. Frequens quoque de futuris tanquam de præteritis & præsentibus loquendi modus in Prophetis occurrit.

X. Sæpe Scriptura numerum certum pro incerto ponit, aut vice versa: non enim intelligit singulos, sed aliquos, & ex

ex omnium numero plures, dum omnes in populo malos dicit.

XI. Attendendum est ad interpuncta verborum, quibus interjectis vel sublatis mirum in modum propositionis sensus variari solet. Ita Ariani verba D. Joannis Evangelistæ puncto perperam interjecto corruerunt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum: loco Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Hoc erat, &c.* ut scilicet Christo, tanquam æterni Patris Verbo, divinitatem negarent.

XII. Nosse ac distinguere oportet formulas apud Hebræos ulitatas seu Hebraismos, ut vocant, quibus usi fuerunt S. Scriptores, quorum omnes, si S. Lucam forte excipias, Hebræi fuerunt. Sic *Fratres* Christo tribuuntur in Evangelio, quum *Consanguinei* duntaxat fuerint.

XIII. Observanda religiose duo capita sunt, quæ Synodus Tridentina (c) præscribit: Primo, ex Communi SS. PP. sensu scripturam esse interpretandam: se-

(c) *Sess. 4.*

cundo, pessimum scripturæ verborum sententiarumque abusum esse tollendum, quem his verbis detestatur: *Reprimendam illorum temeritatem, qua ad profana quoque convertuntur & torquentur verba & sententiæ S. Scripturæ, scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos.*

*Appendix ad Regulas Criticas.*

Si qua in re alia Critices consilio, ductu & magisterio opus est, id certe accidit in negotio scribendorum librorum, & ferenda de illis sententia. Juvat igitur producere quasdam leges a Viris sapientibus, & in hac re multum exercitatis latas, nimirum e Possevino, Mabilonio, Vives, ex arte Cogitandi, ex Ephemeridibus sapientum, e monumentis Trevoltienlibus, &c.

I. Quando is, qui eruditionem est nactus, non præsentibus tantummodo, nec iis, quibuscum vivit, prodesse volet, verum absentibus quoque, ac posteris: principio noscat se, & vires suas expendat, quibus polleat dotibus, quibus scribendis sit idoneus.

II. Aptif-

II. Aptissimi omnium sunt, qui iudicio præditi vegeto & acri, ad conjectandum sunt dexterrimi. Qui vero diligentia solum valent, non item ingenio, ea sibi desumant, in quibus non est opus acumine apis, sed sola mellis colligendi solertia.

III. Antequam scribendi consilium in-eatur, plurima pro rebus in universum, tum quoque pro peculiaribus, quæ designantur, materies congerenda est, ne a cœpto semel ædificio ob inopiam adparatus desistere debeat scriptor.

IV. Scripturo multum est legendum, meditandum, scribendum, emendandum. Harum actionum sit hæc proportio: lectio sit ut quinque, meditatio ut quatuor, scriptio ut tria, emendatio redigat illa ad duo: ex his duobus unum proferendum, in apertum; Horatio monente, ne præcipitetur editio:

*Nonumque prematur in annum.*

V. Præ oculis statuendum est exemplar Auctoris cujusdam in re simili, de qua scribendum est, eximium, quod ingenium in officio contineat, ejusdem regat motus, mentisque impetus moderetur atque cohibeat.

VI. Stilus accommodari debet argumento, non argumentum stilo. Nam alio opus est ad orationem, alio ad historiam, ad epistolas alio, atque alio ad dissertationes.

VII. Libri titulus sit ipsius quasi compendium, ejusque indolem quoad fieri potest, exprimat. Inscriptio sit accurata, simplex, clara, nec dubia, aut inflata vel ænigmati similis, nec plura promittens, quam re ipsa præstet.

VIII. Proœmium lectorem in intimam Auctoris rei que scribendæ cognitionem ducat, cujus janua velut est, & vestibulum,

IX. Ad ipsam compositionem requiritur prudens rerum dicendarum delectus, naturalis ordo, quo sunt collocandæ, atque elaborata easdem explicandi ratio.

X. Modus proponendi adferat jucunditatem: sit dictio nitida, pura, fulgens, aperta nec impedita.

XI. Fugiendæ digressiones inutiles, & episodica longiora: non adhibenda eruditio longe petita, & velut crinibus huc pertracta: nec advehenda græcorum & latinorum textuum integra plaustra: verbo,

bo, vitandum omne studium nimis quæsitum.

XII. Verba contumeliosa, aliorum contemptus, adulatio, & laus propria procul sunt arcenda: contra observandus semper character scriptoris, qui debet esse homo prudens, gravis, & circumspectus.

XIII. Semper ante oculos versetur scriptoris scopus, ne mens unquam ab eo aberret: hinc verba potius sunt contrahenda, quam favoniis licet spirantibus libere permittenda.

XIV. Denique absolutum opus ad limam revocandum: errata probe ac solcite corrigenda; quæ redundant, amputanda, & lacunæ explendæ: Nec simiam imitetur scriptor, sed ipse sit suus Cato, ipse Judex inexorabilis ac flecti nescius; vel si mavult Medicus aut Chirurgus, qui etiam secando & in corpus sæviendo sanat.

XXV.

Atque hæ sunt regulæ, alteram *Oeconomiam Criticam* partem constituentes, e variis ut dixi, probatorum Auctorum & artis hujus peritorum libris depromptæ, studioseque sub unum conspectum produ-

ductæ. Quæ licet utilissimæ sint, ut opinor, quum egregias tot artium & scientiarum ideas suppeditent, illarumque proprios characteres palam faciant, arcana multa in singulis detegant, & nobiles de universis cogitationes ac sensa excitare valeant, fateri tamen oportet, eas non ad certi omnino ac immutabilis iudicii gradum ascendere, præsertim ubi singulæ ac separatæ accipiuntur. In prima statim, at præcipua, quam statuunt recentiores Critici, regula generali: *non nisi maturo consilio, probe perspectis utriusque partis fundamentis, nova veteribus, vetera novis rite prius comparando, & quænam horum plus valeant, discutendo ferendam esse crisin ac censuram*, in hac inquam prima & præcipua generali regula multis statim hæere aqua videtur. Omnes eam sibi vendicant, omnes in suis lucubrationibus adhibere se, religiosissimeque observare profitentur. Sed Deus bone! quot non sunt, præsertim historiæ seu profanæ seu Ecclesiasticæ scriptores, cætera summe industrii ac præstantes, qui de eadem re, de eodem facto, de eodem opere, de Auctorum fide, de scientiarum methodo iudicia penitus discrepantia pronunciant? Dum hi factum aliquod in veritatis apice collocant,

cant, alii ad fabulas id ablegant, productis utrinque testibus ac tabulis. Non pauci satis claro, & ut ipsis saltem videtur, invicto antiquorum testimonio ducti legitimum omnino censent opus id ipsum, quod ab aliis inter apocrypha vel supposititia reponitur. Idem non raro scriptor antiqui Auctoris existimatione opinionem hanc suam fortissime tuetur, in alia vero, ubi minus sibi faventem illum reperit, omni fide privat, & nihili ducendum esse contendit. Ex iisdem pene legibus unus narrationem hanc veram esse demonstrare nititur, alter vero falsam, aut commentitiam. Heic loci conjecturis agitur prudentibus, firmis, sibi que bene cohærentibus: alibi longe petitis, futilibus, & parum circumspectis. Modo dum auctoritas & ratio deficit, traditiones unde unde conquistæ in subsidium vocantur: modo traditiones omnes in falsi suspicionem adducuntur, & tanquam supersticiosæ antiquitatis nœniæ ridentur. Scientiæ alicujus tradendæ discendæque methodum longo seculorum usu civitate donatam dum iste adductis gravissimis rationibus e prudentiæ præscripto depromtis tueri in possessione satagit, ille novæ ac insolentis Criticæ legibus eversum it totis viribus, aliamque



in cerebro suo fabricatam substituit, qua meliorem inveniri posse non credit. Sed fortassis diversa hæc judicia, & Criticorum etiam non mediocrium dissensiones non artis ipsius, sed usus sibi non constantis vitia sunt, de qua re mox plura. Illud interea facile intelligitur, eximiam hanc artem eo æquitatis & accurationis regularum suarum ope necdum pervenisse, quo illam ætate hac evectam fuisse nonnulli blandiuntur sibi, aliis gratulantur.



## CAPUT V.

### ABUSUS CRITICÆ, SEU CRITICA PERVERSA.

#### §. I.

#### *Causæ hujus abusus.*

#### XXVI.

**N**emini, ut opinor, ex iis, quæ hucusque in medium protuli, dubium esse potest, artem Criticam, etsi necdum perfectam, nec forte unquam numeris omnibus perficiendam, incompa-

rabile bonum esse humani generis, maxime vero Reipublicæ Literariæ: huic certe licitum est, honestum est, utilissimum est, alienos sive in doctrina errores acute investigare, ac deprehenso censoria virgula percutere. Nam unde tot errores ac fabulæ, tot dogmata inepta, nisi ex Criticæ inopia? unde recti iudicii, meliorisque eruditionis instaurationis, nisi e Critica instaurata? Verum uti nulla medicina est tam salubris, aptaque seu morbis pellendis, seu valetudini tuendæ, ut non eadem malo usu in venenum transeat, ita & ars hæc tum emendandis, quæ in scientias & artes irrepsert, erroribus, tum iudiciis perficiendis inventa si male adhibeatur, in magnam perniciem & stragem ingeniorum atque morum non raro cedit, uti tristis experientia docet, etiam hisce quæ vivimus maxime criticis temporibus. Quippe quum una ex parte homines ad invidiam natura ipsa velut compositi ad reprehendendum aliena citius, quam ad approbandum perverso quodam ingenii mentisque stimulo incitentur, ex altera vero in tanta & propemodum immensa scribentium & scriptorum copia semper plura, quæ censuram, quam quæ encomium mereantur, opera occurrant, iccir-

co non pauci, qui in hoc munus vel suapte indole, vel aliorum excitati exemplo involarunt, dum intra limites prudentiæ atque justitiæ continere se nequibant, odium haud paullo levius, quam olim Satyrarum conditores in se concitarunt. Fas erit, altius nonnihil mali hujus causas repetere, quas partim apud scriptores, partim apud eorum censores invenire licet. Ad scriptores quod adtinet, quanto ii, qui primi in artibus & scientiis sunt versati, ingenio & dexteritate plus cæteris valuerunt, nec non studio & diligentia in eam rem contenderunt, tanto etiam artes illæ atque scientiæ ex ipsorum manibus & puriores & adultiore exierunt. Quum tamen omne initium grave, & periculosum sit tentare vadum, prohibere hi non potuerunt, quo minus nævi aliqui, & lapsus vel doctrinæ non lat firmæ, vel ignorantiæ facti, vel dictionis obscuræ præclaris eorum conatibus velut umbræ corporibus adhæserint. Atque his tanquam primis disciplinarum parentibus gratiæ habendæ sunt, & quidem semper, etiam dum peccata illorum indicantur. Nam quod falsi vel lapsi fuerint, ignoscere oportet communi sorti ac naturæ: lapsus tamen detegere ad nostram cautionem facit, dummodo id fiat  
sine

sine contemptu, & cum parsimonia. Hoc vel maxime in ferenda de Antiquorum Patrum scriptis sententia est observandum, cujus rei illustre exemplum suppeditat Melchior Canus, Vir rei Criticæ apprime intelligens, qui de Historia Ecclesiastica Bedæ & Gregorii Turonensis ita scribit: (d) „ Quoniam modeste & „ circumspacto judicio de tantis Viris „ pronunciandum est, ne in his quidem „ duobus rejicienda sunt plurima. Pau- „ ca enim in iis possis arguere, quam- „ quam historiam Ecclesiasticam revocare „ ad severiora judicia contendas: ac „ si necesse est in alteram peccare par- „ tem, omnia eorum probari legentibus, „ quam multa reprobari malo. Neque „ enim existimandum, eorum doctissimis „ elucubrationibus fidem esse denegan- „ dam, quod nonnulli in iis errores ir- „ repererint; cum errores illi non fallen- „ tium Auctorum fuere mendacia, sed „ ignorantium. Neque ob unum aut al- „ terum peccatum, cujus semper proba- „ bilis est excusatio, tantorum Virorum „ volumina debent improbari. Si enim „ ita agendum esset, potissimæ omnium „ fere Ecclesiæ Doctorum lucubrationes „ contemnendæ essent, & proculcandæ; „ cum

(d) *L. IX. de loc. Theol. C. 6.*

„ cum vix eorum quemquam invenias ,  
 „ qui in aliquo , si non ad fidem , saltem  
 „ ad rerum gestarum historiam pertinen-  
 „ te , non erraverit. „ Sunt autem alii  
 scriptores ferula sane digni. Quidam  
 quantum ingenio deficiunt , tantum vana  
 spe nominis alicujus inter literarum Pro-  
 ceres obtinendi intumescunt , aut lucrum  
 scribendo quærunt , adoptantes sibi sym-  
 bolum sordidi Imperatoris Vespasiani :  
*Lucri bonus odor , undecunq̄e adveniat.*  
 Hi non expendentēs ingenii sui vires ,  
 quid possint ferre , quid recusent , adsur-  
 gunt in ausus , quibus pares non sunt ,  
 nec nisi magna & admiranda sine judi-  
 cio , sine veritatis criterio in medium ad-  
 ferunt ; vel scribunt de rebus , quibus  
 nunquam , aut duntaxat superficie tenus  
 studuerunt , volentes haberi pro Philoso-  
 phis , pro Theologis , pro Politices Ma-  
 gistris , quum tamen e Grammaticorum  
 subselliis ægre eluctentur : vel novas me-  
 thodos & systemata proponunt in cere-  
 bro heri nata , totiusque Antiquitatis mo-  
 ribus in meliorem , ut ajunt , formam re-  
 digendis adlaborant. Alii vero partium  
 studio abrepti , vel adulandi arte quæstum  
 facturi laudant , quæ vituperio digna sunt ,  
 aut vituperant , quæ laudare deberent ;  
 pro arbitrio suo palmas & lauros , qui-  
 bus

bus volunt, distribuunt, sine fide sine fronte res gestas narrant e fontibus minime sinceris, ac Heroes creant, qui non sunt, sed quos esse optarent. Alii demum & sibi persuadent, & aliis persuasum cupiunt, quod nihil ipsos lateat, quod omnia sciant, quamvis conscientia propria testimonium repugnet. Unde Seneca recte dicit: *Multos ad sapientiam potuisse pervenire, nisi se jam crederent pervenisse.* Atque hi tyrannidem quandam in aliorum dicta & scripta exercent, quisquis opinionibus eorum refragatur, huic crucem figunt, & velut pro tribunali sedentes condemnant. Omnes isti merito Criticorum ingenia & calamos adversus se provocant, ut illorum inscitia, graves errores, fraudes, fabulae, mendacia palam fiant, & in Acta referantur, ne orbis literatus adulterinis ejusmodi mercibus compleatur.

## XXVII.

Verum istis prætermiſſis ad ipsos Censores nos conferamus. Quidam munus hoc sibi arrogant quasi privilegio nobilis cujusdam libertatis muniti, quo licitum esse cuiquam credunt in Republica Literaria, aliorum scripta & ingenii monumenta in jus vocare, notare, absolvere  
vel

vel condemnare. Nihil oculorum suorum & calamorum aciem effugere patiuntur, semper ad cavillandum parati: hujus Auctoris dictio non placet tanquam minus latina, quia aureo seculo & Ciceroni ignota: illius scriptiones scholam òlere queruntur: alium in historia Ecclesiastica, in scriptis Patrum, in re Antiquaria peregrinum, aut nimis credulum pronunciant: alterum malæ fidei vel plagii intululant: vix quisquam scriptorum est tam eruditione præstans, tam fama celebris, tam antiquitate venerandus, tam probus, in quo non velut in sole maculas & multa, quæ liberrime carpant, Censores isti inveniant, ingenio suo atque judicio singulari plus quam decet fidentes. Non equidem inficias eo id, quod ex omnium sapientum consensu exploratum est, uti in quærenda ac discenda veritate, ita etiam in proferenda atque prodenda amplissimum jus pateri ingeniis humanis. Sed non minus pro comperto est, aliud esse jus æque vel magis forte, certum ac sanctum, quod leges justitiæ, charitatis, prudentiæ ac moderationis transgredi vetat: nullum in ista jus prætenso juri libertatis esse potest. Quotusquisque autem censorum istorum est, qui non hodie Criticam

cam suam ad omnes æquitatis ac temperantiæ regulas compositam esse, soloque boni publici zelo negotium se hoc suscepisse in Procæmio quam largissime profiteatur, sed in sermonis contextu quamprimum & æquitatis & moderationis, & sui ipsius obliviscatur? Alii censorum sunt, quos urit famæ ac gloriolæ cupido instar urticæ, & sapius mature nimis; quique nonnisi super dirutas aliorum scriptorum aras trophæa sua erigere statuunt. Hi dum alienis insistere vestigiis, & cum aliis loqui indecorum sibi credunt: interea novum aliquid supra cæteros adferre se posse desperant, eorum opiniones quacunque via refellere, testimonia in dubium vocare, historias sublestæ fidei arguere, omnique adprobatione auctores cæteroqui probatos exuere non verentur, ut nominis sui famam spoliis alienis exornent: quin eo temeritatis quosdam progressos esse vidimus hoc seculo, ut promiscue Sanctorum Veterum apotheoses, etiam illas, de quibus vix prudens dubium esse potest, impugnare, ab antiquissimi cultus possessione illos dejicere, atque ab aris & focis, quantum in ipsis erat, remove conarentur. Postremum denique Censuræ genus est, qui eo minus fidem meren-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XIII. L tur,



tur, quo eam unicam, per quam ad æternæ salutis portum aditus patet, licet a Majoribus suis perpetua successione acceptam veram fidem pridem abjecerunt ac ejurarunt. His nihil antiquius, nihil solemnius, quam conquisitis undique argumentis male criticis sanctorum Patrum scripta, & Conciliorum acta depravare, traditiones omnes etiam antiquissimas, & Ecclesiæ ritus tanquam superstitione plenos rejicere, Sanctorum res gestas fabulis Æsopicis adnumerare, historicos sacros mendaciorum ac fraudum postulare, summis Pontificibus & Ecclesiastico Ordini quævis crimina & nefandos abusus adingere, S. Scripturam ipsam finistis, quas ex hebraicis primis fontibus hausisse se jactitant, interpretationibus corrumpere, ac falsissima dogmata sua quæsitis coloribus obducta pro veris passim obtrudere: atque hi quidem venia digni non sunt. Quamvis enim alii, quos non perversus animus, sed humani intellectus & mentis infirmitas a bono & vero abduxit, leni manu tangendi sint, & errorum suorum secundum leges charitatis admonendi castigandique, isti tamen quos malitia excæcat, quique oblata quavis occasione, quin & quæsitâ nocere ac perdere student, acri stilo & aperto mar-

te,

te, utpote conclamati, aut Religionis veræ, aut veritatis & virtutis hostes impugnandi sunt, ac debellandi.

## §. II.

*Damna, quæ parit abusus Criticæ.*

## XXVIII.

Nunc ad gravissima, tristissimaque damna, quæ perversa Critice non solum Reipublicæ literariæ, verum etiam Christianæ infert, propius accedamus. Et *primo* quidem loco ars hæc male usurpata ( si tamen ars dici queat ) & eos qui scribunt, & eos qui legunt, dum doctos & eruditos facturam se pollicentur, nonnisi scepticos facit, quales fuerunt veteres quidam Philosophi Duce Pyrrhone, qui omnia contemplantes & examini subjicientes nullam de quacunque re certam sententiam tulere, sed de cunctis dubitarunt. Huc sane tendit principium illud, quo Pseudo-Critici isti plerumque nituntur, scilicet *argumentum* quod vocant *negativum*, e silentio Antiquorum petitur, dum ex eo ad fabulas amandant omnia facta & eventa quælibet, præsertim communem rerum ordinem superantia, quorum unus solum vel

alter Scriptorum meminit, aliis silentibus. Hoc argumentum male adhibitum aptissimum est ad negandas antiquissimas traditiones, miracula, & facta illustria ab insignibus Auctoribus & SS. Patribus posteritati commendata, vel certe ad omnia hæc in dubium vocanda. Unde sapienter movet Mabillonius: (e) *Permagnum rem esse momenti, ut nonnisi cautissima circumspetione argumento pure negativo utamur. . . . quando nihil adeo pro-num est, quam ex immoderata suimet fiducia sibi imponere, dum obvius quisque sibi blanditur, omnia se legisse, omnia observasse.* Tristia extant hujus rei vestigia apud Dupinum, Dallæum, Lanoium de libro Judith a Synodo Nicæna in numerum Canonicorum relato, de epistolis S. Ignatii Martyris, &c. *Secundo*, sanum judicium aufert, dum illud stabilire contendit. Pro summa Critices regula statuit Dupinus (f) *judicium æquitatis & prudentiæ, ad quod utrinque rationes & conjecturæ trutinantur.* Sed quis non videt, auctoritate sani judicii Criticam sæpissime abuti, ut speciem quandam tyrannidis in opiniones aliorum exerceat. Nam ubi quis systema suum

(e) *De stud. Monast. C. 13.*

(f) *Præf. Tom. 1. Bibl. Ecclæs.*

super ruinas antiquitatis formavit, tum quidquid ei adversum videbitur, per familiarem sibi regulam sani iudicii damnabit. Huic cedere debent Patrum interpretationes, Ecclesiæ traditiones, conciliorum decreta : ipsa Scriptura uti loquitur Abbas Trapensis (g) Critico videri desinit emendata : opus est sine intermissione Textum Græcum, Hebraicum & Syriacum adire. Ita sanum, quod prætexunt, iudicium insanire facit homines quosdam, in censuris ferendis intemperantes. *Tertio*, Criticæ studium sine consilio susceptum non paucos ab aliis avocat studiis, in quibus operam Reipublicæ Christianæ longe utiliorem collocarent, & tempus surripit, quod occupationibus vi numeris sui sustinendis impendere deberent cum non modico huius & conscientiæ detrimento. Legunt hi ac relegunt ejusmodi libros Criticos, qui omnia in dubium trahunt, omnia carpunt sine discrimine sacra & profana, ubique rejectis veterum placitis nova cudunt pro arbitrio : & quoniam legunt absque ulteriori examine ac disquisitione, credunt & adorant, atque in circulis &

con-

(g) *In Respons. ad Tract. de Stud. Monast.*

congressibus mirifice extollunt hæc male feriatorum Criticorum oracula, imbibuntque & ipsi & alii non raro sensa homini prudenti & catholico parum decora. Interea muneris concrediti partes non implentur, negotia domestica & publica negliguntur, causæ prorogantur, dum in manibus, & sub oculis continuo versantur libri aliqui, qui magno hiatu nescio quæ status Politici arcana arcanissima profitentur, quæ tamen misere concamerata eo duntaxat tendunt, ut incautis summe noxiam in religionis negotio libertatem, Ecclesiastici Ordinis ac potestatis contemptum, invidentiam piarum largitionum, quævis in Republica novandi libidinem, & audendi ferociam, verbo, principia & dogmata Machiavello familiaria inspirent. *Quarto*, mala Critice aliorum existimationem imminuit, charitatem lædit, & famam lacerat. Sunt enim, qui Critices artificium fere totum in eo ponunt, si omnibus contradicere, irridere Veterum mores & doctrinam, alios errorum aut malæ fidei arguere, quos adversari anticipatis opinionibus suis credunt, contemptim tractare, & aculeatis falsisque dictis liberaliter perstringere valeant. Sed noverint isti, latrare ac mordere canum esse, & qui his affines sunt,

sunt, Cynicorum, non illustrium Criticorum. Res certe deploranda, videre hujus etiam temporis Criticos non paucos, ubi semel orta est inter eos controversia quæpiam, non solum argumentis & conjecturis, sed etiam convitiis qua tædis qua apertis se invicem impetentes veluti infestis armis, cum tædis ac facibus concurrere, ut unus alterius ædes incendat. *Quinto*, denique abusus Criticæ magnos in Religionis negotio tumultus excitare solet. Nam ii, qui sese a communione Ecclesiæ Romanæ separarunt, quum a schismate suo nihil reperire possent, quo inquietem animi sui sisterent, Rempublicam literariam velut diluvio criticorum operum inundarunt, quibus aperta fronte fidei dogmata, & SS. Patrum ac Ecclesiæ auctoritatem concvellere ac conculcare nituntur: Alii vero, & pro dolor! etiam Catholici vel misere a prioribus decepti, vel ingenii, vanæque gloriæ stimulis incitati non quidem ipsam fidem, sed quæ illam instar sepis circumstant & tuentur, nempe ritus, mores, traditiones antiquas & Patrum effata licentius, quam par est, impugnant, & minus quam decet verecunde suggillant. Quanta res hæc mala & scandala in populo Christiano suscitavit,

quum talia vulgari etiam & patrio sermone in lucem edantur, non vacat heic pluribus commemorare. Laubrusselus S. J. Vir religiosissimus, & scriptor Gallicus (h) „ Compertum esse, ait, quingentis retro seculis innumeram barbarorum multitudinem Occidentem universum occupasse, secumque barbariem induxisse, quin ullum inde fides caperet detrimentum: Vidimus autem rursus literas floruisse, statimque Criticam & hæresin socias fideles æquo gressu remotas semitas persequi, pari audacia eosdem fines prætergredi, easdemque Ecclesiæ leges poterere. „

## XXIX.

Non possum hoc in loco præterite silentio ea quoque damna ingentia, quæ invehunt libri quidam, qui passim per manus etiam Juvenum & scæminarum ambulant, seu Critici seu ad artis Criticæ methodum conformati, & vulgari, ut dicebam, lingua conscripti, Gallica, Italica, vel Germanica. Eorum materies & argumentum est aut bonarum artium & literarum idea, aut morum & politices doctrina, aut temporum nostrorum

Cri-

(h) Tom. i. Tract. de malo usu Critices in negot. Relig.

Critica. In his ore latissimo præfatur Auctor, invenisse se modum & viam perveniendi ad sublimem scientiæ ac eruditionis gradum, quin opus sit invisa scholarum limina salutare: non aliud requiri, quam sedulam ejusmodi librorum lectionem, utpote temporis ac ætatis genio accommodatorum: repertum iri in illis tres maximas dotes, quibus absque difficultate in omni eruditionis genere existimatio quantocyus comparari possit. Harum prima est elegantia & nitor linguæ; siquidem hoc tempore tam concinne texuntur sermones, verbis tam idoneis, tam bene collocatis, tam fluidis, tamque blandis, ut sive verum sive falsum dicas (quod parum sollicitos habet hosce scriptores) animus non mediocri oblectatione deliniatur. Altera, quod sine ulla fere molestia, quæ in enodandis scholarum difficultatibus est absorbenda, & sine profunda illa quæstionum spinosarum disquisitione, quam *speculationem* vocant, invenire quis possit omnes abunde jam explanatas in libris his novis, una cum methodo de iis loquendi more non triviali & qui scholam oleat, sed nobili ac libero homine digno. Tertia, & quæ præcipua est, quod res addiscantur eo, qui hodie apud viros prudentes vi-



get, modo, quin Veterum opinionibus serviliter adhærere cogamur, uti faciunt ingenia mediocria: quodque novorum omnium dogmatum notitia inde hauriatur, ita ut in Nobilium & Eruditorum conventibus scite proponi, festive sustineri ac propugnari queant, & paratragædiare liceat, id quod non levem sapientiæ notam parere, ac eruditionis characterem imprimere solet. His aliisque tam suaviter, quam leviter in libri limine pronunciatis inescantur lectores incauti quam plurimi, præcipue juvenes ac fœminæ nasutulæ, ut aliorum librorum quantumcunque utilium nauseam concipiant, illos solos deprædicent tanquam oraculorum sacraria, & arcanorum omnium compendia; commiserationeque dignos proclamant, qui alios legendi, quin & aspiciendi laborem sibi sumunt. In his libris opinione sua adeo cultis ornatisque plurimas invenire veritates atque doctrinas sibi videntur, olim prorsus inusitatas, & ambabus manibus velut cœlo delapsas excipiunt: discunt contemnere multa, quæ plurimi faciebat Antiquitas, & in dubium vocare veritates, quibus olim velut certissimis adhibebatur fides. Gratulantur sibi, & plaudunt, quod nescio quo Superum favore tandem

dem animum tot submissionibus, & intellectu tot servitutibus exolverint, quibus alias prudentissimi quique cogebantur se subicere, atque captivos dare, dum modo perruptis repente obstaculis omnibus ad id sapientiæ culmen, quemadmodum sibi blandiuntur, sunt eluctati, ut tuto constituere se ipsos possint iudices vel illius, quod adprobari, vel ejus quod repudiari meretur. Ita quævis ad tribunal judicii sui vocant, & plurima rejiciunt eorum, quæ adpellari solent opiniones piæ, plurimasque consuetudines, ritus, & ceremonias totius Antiquitatis suffragio consecratas, tanquam res, quibus homines simplices, nimiumque religiosi hucusque inutiliter se occupassent. Inde sensim nascitur contemptus Ordinis & neglectus Juris Ecclesiastici, circa quæ plures excitantur quæstiones invidia plenæ: irridetur simplicitas Majorum, qui in monasteria, templa, & nosocomia ædificanda dotandaque proventus suos amplissimos profuderunt: atrectatur profanis manibus potestas in res & personas sacras: nihili penduntur decreta & sanctiones SS. Conciliorum: impune leges Ecclesiæ violantur, & nova Religionis cujusdam heteroclitæ systemata cuduntur, & quod ore creditur, vita & moribus

bus negatur. Atque hic fructus est, quem ex ejusmodi libris decerpunt veluti ex arbore *scientiæ boni & mali* cum primis parentibus quandam divinitatem sibi arrogantes: *eritis sicut Dii*, (i) sed fato ipsis & toti posteritati lugendo.

## §. III.

*Exempla perversæ Criticæ.*

## XXX.

**N**e autem malum Critices usum temere perstrinxisse cuiquam videar, nonnulla hujus rei exempla prodere consultum duxi, quorum aliqua illos tangunt, qui stimulante vel invidia vel malitia in transversum acti, alia eos, qui nimia ingenii libertate hoc in negotio lubrico hallucinati sunt, ubi tamen non tam mea, quam aliorum judicia in medium proferam. Gaspar Scioppius, Neagoræ oppido Palatinatus Superioris natus an. 1576. vivax & acre ingenium nactus est, multaque eruditione grammatica politum. Omne fere tempus & animum ad Criticam adplicavit, qua latinos Auctores & Grammaticos bene multos gravium errorum arguit, propria præter modum

(i) *Genes. C. 1.*

dum extollens, & aliena ultra omnes honestatis & prudentiæ limites arrodens: ipsum adeo Ciceronem barbarissimi reum agit, & Julium Cæsarem Scaligerum quingentorum mendaciorum convicisse se gloriatus est. Neque solum scriptores antiquos & probatissimos momordit, sed etiam Gymnasia, Literas, Politicam, Ecclesiam, & quidquid obvium erat, contumeliose calamo suo aggressus est, dictus propterea *Grammaticus Canis*. Scaliger, de quo primum dixi, Criticæ artis peritissimus, neque ipse notam intemperantiæ potuit effugere. Nam in Erasmus, qui superstitiosos Ciceronis imitatores reprehendit, tanta mordacitate ac vehementia invectus est, ut parasitum, ebriosum, indoctum, stultum, scopulum religionis, eloquentiæ maculam & generis humani viperam nuncupare non erubuerit. (k) Non pauci Scaligero addicti furentem ejus Criticem cohibere studebant, sed ubique dominantem sistere nequiverunt. Non minus Desiderius Erasmus, Roterodamus, Grammaticorum sui ævi facile princeps, qui plurima SS. Patrum scripta e tenebris & pulvere reducta primus typis excudi fecerat, Theologica scientia ferme destitutus in iis cen-

(k) *Orat. in Erasmo.*

fendis non raro, nec modice lapsus est: illius vero in colloquiis & dialogis crises, quæ Clerum Catholicorum & Monachos, licentius tum quidem viventes, & ignorantia laborantes impetivit, sunt ultra modum acerbæ, aliquando etiam petulantes, tamque gravi viro indignæ, atque cum insigni contemptu Ecclesiasticorum rituum & ceremoniarum conjunctæ. Centuriatores Magdeburgenses, nimirum Joannes Vigandus, Matthæus Judex seu Richterus, Basilius Faber, & ut quibusdam placet, Nicolaus Gallus, duce Mathia Flacco Illyrico & a Catholicis & ab A Catholicis atro stigmatè notantur: de his Guilielmus Cave, patria & secta Anglus, ita scribit: (1) „ Ut  
 „ res felicius cederet, missi sunt in diver-  
 „ sas Europæ provincias, qui pulverulen-  
 „ tos Bibliothecarum angulos excuterent,  
 „ codicesque manu exaratos transcribe-  
 „ rent; immo ipse Flaccus assumpto Mo-  
 „ nachi habitu & persona celebriores ali-  
 „ quot in Germania Monasteriorum  
 „ bibliothecas perlustravit, & quos com-  
 „ mode posset libros clam secum abstu-  
 „ lit. „ Schluselburgius vero non igno-  
 bilis inter Lutheranos scriptor Flaccum  
 suo hæreticorum catalogo adscripsit, ut-

po.

(1) *Histor. Liter. in Prefat.*

pote hominem Manichæarum & Ariana-  
rum blasphemiarum manifeste reum. O-  
pus autem ipsum, quod hi Quatuorviri  
condiderunt, in tredecim centurias, sive  
totidem secula divisum erroribus, men-  
daciis, & innumeris Criticæ vitiis ple-  
num est, ita ut primi centuriarum Au-  
ctores ab ipsis Lutheranis exilio mulctati  
fuerint. Nihilominus tamen a multis  
heterodoxis inter magni nominis Criti-  
cos habentur. Joannes Clericus e Bata-  
via oriundus tum in sua arte Criticæ,  
tum in Epistolis Criticis totus in eo est,  
ut e fidelium animis reverentiam illam  
excutiat, quam erga nascentis Ecclesiæ  
Patres una cum fidei rudimentis a pue-  
ritia hausere. „ Quod si effemus, ait,  
„ (m) Sinenses aut Japones, fidenter ex-  
„ aggerari nobis posset pietas prorsus in-  
„ signium eorum Præfulum atque Docto-  
„ rum, qui ante duodena secula in ter-  
„ ris inter Christianos florere . . . . Ve-  
„ rum nimis luculenter perspecta sunt  
„ nobis eorum mysteria, quam ut novis  
„ hisce temere fidem habeamus. Novi  
„ ego nonnullos, qui non avidius rescire  
„ desiderant, quid ille alterve Patrum,  
„ quam quid Sinenses crediderint. „ Cer-  
te nullam non vel captat, vel præter-  
mit-

(m) *Liter.* 3.

mittit occasionem Clericus, qua impudentis Criticæ suæ regulas ad religionem Catholicam exagitandam & contemptui habendam adplicet.

## XXXI.

Veniamus modo ad eos, qui & ingenio & iudicio præstantes, ac orthodoxæ fidei addicti insignem operibus suis criticis, præsertim in historia Ecclesiastica, famam adepti sunt, quosque Libri hujus Capite II. §. II. num. X. ad finem non sine encomio recensui. Suos tamen & hi manes passi sunt, ac nævos non modicos nec paucos in illorum lucubrationibus graves, qui post ipsos scripserunt, Censores notarunt. Dupinus non raro reverentiæ Patribus, eorumque scriptis debitæ penitus obliviscitur: Merum ipso iudice figmentum est, & futile meditatio, sentire cum D. Hieronymo, Sibyllas a Deo vaticinandi donum recepisse in virginitatis suæ præmium: factum id de nimia Patrum credulitate super hisce oraculis (nempe Sibyllarum) nimium evidens esse, quam ut aperta hæc Veterum oscitantia ulla ratione purgari possit: rursus, S. Epiphanium, dum Severum ante Tatianum fuisse asserit, tota errasse via: plura facta a Patribus pro-

posita tanquam genuina inter fabulas recensenda esse pronunciat. Alibi persuadere sibi non potest, Symbolum Apostolorum ab ipsis revera digestum esse, quod tamen tradunt Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, &c. Ludovicus Danes (n) de Auctore isto, scilicet Dupino, sic loquitur, „ Ludovicus Ellies Dupin, Doctor Parisiensis, Vir plurimæ lectionis & scriptio-  
„ nis, sed novitati, immodicæ crisi, &  
„ Jansenianis Quæsnellianisque partibus ad-  
„ dictus, ideoque non semel atro carbone  
„ notatus, &c. „ Tillemontius in suis opinionibus & criticis animadversionibus admodum inconstans est, & a se ipso in pluribus locis dissidet: sæpe probat & improbat eodem calamo eosdem Auctores, & multa opera dubiæ fidei in testimonium sententiæ suæ pluribus locis adducit, uti Chronicon Patchale seu Alexandrinum, quod tamen alibi supinis erroribus scatere asserit: S. Aldhelmum quamplurimis historiis incertis & palam fabulosis redundare: V. Bedam non paucas corruptas historias in suum censum transtulisse asseverat, quin ullum validum de his erroribus objectis argumentum adferat: Eusebium memoria lapsum, & minus accura-  
tum

(n) *In general. temp. notitia.*



tum fuisse: S. Clementem Alexandrinum manifeste deceptum esse inquit: vocem *Trinitatis* tribus primis seculis in usu haud fuisse audacter memorat, quum tamen constet, Tertullianum & Cyprianum crebro illam adhibuisse, & Novatianus ingens *de Trinitate* volumen conscripserit. Mirum sane! hic ipse Tillemontius de Criticorum a Patribus discessu his verbis contra Lamium conqueritur: „No-  
 „vi equidem, sentire præstantes ingenio  
 „atque eruditione Viros, alteram tui  
 „operis partem ansam præbere posse ad  
 „reverentiam Patribus debitam immi-  
 „nuendam, quod perincommode accide-  
 „ret seculo nostro, quo calamitosa pa-  
 „tet hominibus celebriores Ecclesiæ Pa-  
 „tres in contemptum adducendi licentia,  
 „& quo religione nulla a fidei nostræ  
 „Patribus, Deique amicis non pauci  
 „transfugiunt, ut haud rato ad utrius-  
 „que hostes infensissimos devolent. „(o)  
 Bailletus quantum suam in arte Critica peritiam extollit, tantum deprimit aliorum hac in re doctos labores, ac si nemo præter ipsum de Actis Martyrum, & Sanctorum historiis fide dignum quid protulisset: persuadere nobis conatur, (p)  
 ab

(o) *Tom. 2. Epist. ad P. Lamium O. S. B.*

(p) *Tom. 1. Orat. ad vitas Sanctorum.*

ab Ecclesiæ exordio usque ad elapsum seculum nihil in hanc rem numeris omnibus absolutum in lucem prodixisse, neque ullum, qui de historiis Sanctorum scripsit, si Eusebium excipias, reliquisse nobis aliquid, quod eruditis auribus & oculis tolerabile foret: Fundamenta non raro evertit, super quæ Criticam suam extruxit, & sinistra fert judicia de iis, e quibus ipsis multa pro suis lucubrationibus depromsit, præsertim de Metaphraсте, quem alibi dicit, *nimum exquisite mentiendi artem tenere*. Illa verissima, quam nescio an de aliis, an de se ipso protulit crisis, quando ait: *Criticos propensionem animi in se ipsos, aque ac reliquos homines, nonnisi cum corpore deponere*. SIMONIUS eodem quo prior morbo, quin etiam graviore laborat, jactantia scilicet, & Patrum contemptu. Perspectum tandem habui, ait in ipso operis sui limine, neminem ad hanc diem sacrarum Literarum Criticem penitus introspexisse: Hieronymum, Augustinum, Ambrosium & Basilium præcipitis judicii, linguarum ignorantia, levitatis, & plagii reos agit: certe Hieronymo objicit, quod non satis, quæ scripturus erat, perpenderit, neque semper qua par erat moderatione criticam suam cohibuerit, & vul.

gatam quam dicunt *versionem* multis nævis consperferit: Augustinum carpit, quod in hoc studiorum genere superficie tenuis sit versatus, quodque linguæ græcæ non satis gnarus, & hebraicæ prorsus expers iis, quæ Manichæi objecerant, minus opportuna reddiderit responsa: de Ambrosio inquit, eum ferme nihil aliud præstitisse, quam quod Origenis libros & Basilii homilias inverso verborum ordine transcripserit: miraculi famam de uxore Loth in statuam salis conversa, & de linguis ad turrim Babel confusis elevat & evertit: conjecturis duntaxat innixus Pentateuchum Mosi eripit, cui tamen Auctori librum hunc tota sane Antiquitas adjudicat. Mirum proinde, non est, quod Simonii Critica non solum apud Catholicos, sed etiam apud A catholicos vehementer vapulet, ac impudentis censuræ arguatur. Alexandro Natali vitio vertunt recentiores Critici, quod non semel in testes vocet opera tum dubia, tum spuria, quæ modo a Viris eruditissimis plerisque univèrse exploduntur: quod in suis regulis sibimet ipsi contradicat: quod erga Patres quandoque parum reverentem se exhibeat, dum formulis utitur minus civilibus: *Epiphanius deceptus est: Severo Sulpitio non est fides adhibenda:*  
Gre-

*Gregorius Turonensis erravit: S. Ephrem, Damascenus, Evagrius minus expenderunt, decepti sunt in censura sua, &c. quod Pontificum potestati auctoritatique minus æquum se præbeat.*

Neque Launoius & Ruinartius adeo felices fuerunt, ut virgulam censoriam aliorum Criticorum evaserint: Primo obijciunt, quod duo Orosii loca vitiaverit, plus in multiplicandis antiquorum testimoniis, quam in stabiliendis desudaverit, & celebratissimam translationem Domus Lauretanæ argumento negante, quo perpetuo utitur, convellere conatus fuerit, cujus tamen levitatem solide ostendit Theophylus Raynaudus, ac invictis rationibus & testimoniis ipsam translationem defendit: in Altero monumenta, quæ adfert, satis multi non probant, utpote eorum judicio minus rata firmaque, quemadmodum historiam S. Jacobi, Acta S. Justini, S. Vincentii M. SS. Luciani & Martiniani MM. &c. Adversarios quoque suos nactus est Fleurius, quorum unus ejus historiam reprehendit, eo quod facta quædam satis certa de B. V. & SS. Apostolis studioso silentio præterierit: alter principia meliora de jurisdictione Ecclesiastica in eo desiderat: alius rigidior forte

M 3 quam


quam par est censor malam ei fidem ob-  
jicit. Illud satis certum est, nimia Fleu-  
rium libertate in scribendo usum esse,  
plurimaque protulisse, quæ a vulgo legi  
nequaquam expedit. Historia vero ipsius  
a quodam A catholicorum in linguam  
Germanicam translata, fœdeque corrupta  
omnino est rejicienda.

## XXXII.

Jam satis de abusu Critices, ejusque  
tristibus exemplis dixisse mihi videor;  
qui plura desiderat, consulere poterit  
Animadversiones in regulas & usum hu-  
jus artis doctissimi ac integerrimi Criti-  
ci, quem sæpius memorabam, P. Hono-  
rati, in quibus inveniet præcipuarum in-  
ter Criticos postremi ævi controversia-  
rum illustria exempla quamplurima in ut-  
ramque partem accurato examini subje-  
cta. Ex his autem, quæ breviter pro  
instituti mei ratione hoc capite recensui,  
documenta quædam deduco magni mœ-  
menti, ad quæ Lectorem animum dili-  
genter advertere velim. Primo quidem  
facile intelliget, quantis difficultatibus ob-  
noxia res sit vera Critice: opus est enim  
cognitione plurimorum & præstantissimo-  
rum Scriptorum, veterum & recentio-  
rum: testimoniorum & conjecturarum se-  
dula

dula comparatione: judicio probe limato ad veritatem eruendam, ferendamque sententiam. Opus est deponere omnes anteceptas opiniones, & sinistris adfectionibus vanæ gloriæ, æmulationis & invidiæ, pertinaciæ in sentiendo, ac nimix libertatis in judicando mentem expurgare. Opus est moderatione ingenii sane maxima, qua intra limites honestatis, prudentiæ ac gravitatis animus & calamus scribentis perpetuo cohibeatur, qua in re plus vel minus magni etiam nominis Criticos peccasse vidimus. Porro, quamvis hi ipsi saluberrimas artis istius regulas constituerint, ac rationibus & exemplis illustraverint, non raro tamen vel sui immemores, vel novitatis cupiditate victos eas fuisse transgressos deprehendemus, supremos credo Principes imitari volentes, qui aliis leges condunt, ipsi vero legibus vinciri renuunt. Dein observare licet, excellentes hos Criticos sæpius non parum inter se discordare; quod unus multo labore ædificat, alter levi velut brachio destruit: quod hic ex Auctoris cujusdam antiqui fonte asserit, ille ex eodem negat: quod iste tanquam rem certissimam profert, alius omnino in dubium vocat. Ita mutuis cladibus inclarescere student, unusque super alterius ruinas tro-

phæum erigere conatur. Demum plerique nimio Critices studio & libertatis aura abrepti, quo altius provehuntur in hoc pelago, eo magis ultra columnas debitæ vetustis Traditionibus & Patribus reverentiæ feruntur, & dum in omnia crisin suam expediunt, de omnibus denique lectorem dubitare docent, fructu tot vigiliis & voluminibus certe non emendo.



APPENDIX.  
CRITICA SUPER  
CRITICAM.

§. I.

*Epicrisis Sectaniana.*

XXXIII.

**E**a felicitas est temporum nostrorum, ut artium & scientiarum florente studio omnium præteritorum seculorum memoriam longe superare: ea soli fertilitas, ut ingenia quocunque literarum genere ornatissima non tam excoli, quam nasci videantur. Perspicuum id est tres potissimum literariæ Reipublicæ epochas consideranti. Græcia quidem bonarum ar-

artium parens vulgo habetur; sed ut nihil dicam, eas a Platone & Lycurgo post susceptam ad Ægyptios & Chaldæos, Hebræos & Phœnices peregrinationem illuc delatas esse, non secus ac olim Prometheus ignem a sole furatus esse perhibetur: ut nihil inquam de hoc dicam, omnis Græcorum sapientia duobus quasi regionis hujus angulis concludebatur, Athenis scilicet & Corintho; ultra has urbes vix est egressa. Novimus enim Bœotos & Ætolos, magnam Græciæ partem, homines stupidos fuisse; Spartanos quoque & Thebanos ferreos, utpote armis tractandis continuo occupatos. Tum vero ad Romanos e Græcia migrarunt Musæ; non tamen ampliores, quam ipsa Roma, fines nactæ sunt, cujus mœnibus totum agmen Sapientum circumscribebatur. Quin paucis admodum scientiis portæ patebant. Nam præter Oratoriam, Poeticam, & Historicam vix aliæ fuerunt civitate donatæ: Medica servilis erat, & quumprimum insolens esse cœpit, ultra tertium ab Urbe lapidem, immo tota ex Italia fuit proscripta: Philosophiæ naturali nullum pene pretium erat; ægre nec nisi inter probra se sustentabat: Mathesis tota in horiolandi arte ponebatur, & inde turpem quæstum Haruspices, Augures,



& Sacrificuli faciebant. At nostro ævo non una solum civitas, aut una regio sapit, sed omnis Europa liberalissimis studiis fervet, totus Septentrio philosophatur: Literatorum numerus fere tantus, quantus civium: nulla ars, nulla scientia, quæ non immensis sumtibus & indefessis laboribus non dicam exulta, sed ad summum apicem perducta fuit: reconditas quasque disciplinas, quæ Veteribus ne de nomine notæ, nedum de facie, in plenam meridiem protractas modo videmus & obstupescimus. Atque hunc bonarum artium splendorem, abundantiam, varietatem, & magnificentiam potissimum arti Criticæ debemus, quemadmodum primis tribus libri hujus Capitibus demonstravi: Ipsa hæc ars, seu Critice, tot clarissimorum Virorum assiduitate, tot ingeniorum acumine ad supremum nunc fastigium evecta est, nec ullus Manuscriptorum & librorum angulus reperitur, quem non excutiant Critici, & monumenta inde eruta palam circumferant. Et quis est vel modice literis tinctus hoc tempore, qui non Critici nomen & partes sibi vendicat? Verum hæc ipsa immensa sciendi & inclarescendi cupiditas (quam non in scite cum Chymicis *Fermentationem* dixeris) hæc inquam cupiditas facit, ut nobilissima Criticæ

ticæ ars, & cum ipsa reliquæ in præcipiti stare, ac sub mole sua fatiscere videantur. Quum enim non pauci sint, quos cum aliis sentire, aliorumque ingeniorum vestigia terere pudeat, sed mirum quantum corrigendi, mutandi, poliendi, antiqua rejiciendi, & nova in theatrum producendi ardore flagrent, & gloriolæ cujusdam ambitione vix non crepent, gaudentes

*Digito monstrari, & dicier: Hic est,*

pededentim pro summis tantæ artis virtutibus non minora, illisque finitima vitia subreperunt: animi levitas, præceps judicium, novandi libido, fastus & veterum contemptus, atque omnia carpendi libertas, quæ in maximum sane discrimen adducunt Rempublicam literariam, ejusque non secus ac Imperii inclinationem promovent. Nolim ego hac in re quid sentiam proferre, meoque unius judicio stare: alieno potius ore loquar, atque ideo ab invidia remotior; quumque non ita pridem in manus meas pervenerint quatuor insignes Satyræ Lucii Sectani, ex iis quæ ad rem præsentem præ reliquis faciunt, collegi atque in ordinem aliquem redacta heic exhibere constitui. Latet sub nomine ficto verus Auctor Italus, in hoc carminum genere celebris, nec impar  
Ju.

Juvenali & Horatio; quumque admodum rara sint, nec nisi Eruditis nota Satyrarum istarum exemplaria, obsequium me Lectori præstiturum arbitratus sum, si selecta quædam & interpolata fragmenta huic libro infererem.

*L. Sectanus. Q. Fil*

*De tota Græculorum hujus ætatis literatura. Sermones Quatuor ad Gaium Salomonium.*

*Hagæ Vulpicæ.*

1738.

Sermone secundo inducit Auctor Græculum aliquem, quem Rullum vocat, reconditæ eruditionis existimatione propria tumentem, qui primo omnium suadet contemnere methodum discendi, docendique hætenus in scholis usitatam:

*Sic igitur statuas, Salomoni; ex omnibus esse hoc*

*Grande rudimentum, ut vetus & laudata tot annis*

*Discendi ratio nigro carbone notetur,*

*Nul.*

*Nullaque Gymnasii sit jam reveren-  
tia cani.*

*Hoc recitat teneris ante Alpha & Be-  
ta puellis*

*Ovilius, mire juvenes formare pro-  
tervos*

*Doctus, idem & poscit jurari a sim-  
plici turba:*

*Hoc demum quicumque placet sibi no-  
mine docti,*

*Postulat, atque inter fatalia ducit  
babendum.*

*Sic est: emeritos contra ferat arma  
Magistros,*

*Qui modo vult dici sapiens . . . . .*

*. . . . . Hoc multis aditum patefe-  
cit ad astra.*

*Quidni etiam facias? pronum est  
eversa crepare*

*Jura, dolo abreptos juvenes, fra-  
ctam gravitatem*

*Eloquii, fatuis spurcata elementa ru-  
bricis,*

*Et*

*Et totum innumeris vitiatum pestibus  
ævum.*

*Hæc quantum potes, ut clamosum stentora  
vincas,*

*Testare intredidus.*

Tum laudibus ad cœlum usque extollere  
jubet recentes quosdam ejusdem secum  
farinæ Scriptores :

*Hos solos sapere ; huic auro decedere  
dices*

*Scriptorum quæ mox successit abenea  
proles :*

*Hos usque obtrudes laudans per fasque  
nefasque.*

*Hoc bene si præstas, & frons tibi  
sufficit, & vox;*

*Monstrari digito multa inter millia  
tento*

*Paullatim incipies, tantam & merca-  
bere famam*

*Exiguo hoc pretio, quantam Culicanus  
abaëtis*

*Jam sæpe Odrysiis, & caudis mille  
superbus.*

Jactat

Jaëtat se Rullus, quod absque præcepto-  
ac scholæ usû omnia didicerit. Sermone  
primo :

*Jamne vides, quanta se majestate ve-  
tustas*

*Explicit illa nitens ; quæ sit constan-  
tia dictis,*

*Quam comitæ Veneres, seu Rostra Ora-  
tor inundem,*

*Et torrens rapido volvatur flumine  
sermo :*

*Ludere seu malim numeris, gracilique  
sonare*

*Pectine, & epotas ructare Aganippidos  
undas ?*

*Hujus ego laudis soli mihi debitor,  
& Dis :*

*Nam quod jurato vix posses credere  
testi,*

*Ipse mihi Dux, ipse viæ comes unus :  
egomet*

*Me castigabam interdum, mihi sæpius  
aurem*

*Vellebam, reus idem, ultor, praeceptor,  
alumnus.*

*Quid non ingenio sperandum, & Nu-  
mine dextro !*

Pergit grandi supercilio suggillare ac per-  
stringere Auctores, qui solent explicari  
in classibus scholarum. Sermone eodem.

*Da Tiberi propere aut flammis, quos-  
cunque solebas*

*Suspensa ex humeris pera gestare li-  
bellos,*

*Alvum cum trepido tibi nola invisa  
cieret*

*In mediis audita jocis. Etiamne na-  
tabit*

*Tullius, aut tristi crepitabit Horatius  
igne ?*

*Ardebitque iterum cum grandi Troja  
Marone ?*

*Nec pius Æneas, nec flammam eva-  
det Julius ?*

*Alvarus hoc pereat fato.*

Jam vero Auctor Satyræ irridet magnum  
hunc, si Superis placet, thrafonem in-  
pri-

primis ejus, quam jactat clamosam & inanem eloquentiam. Sermone secundo.

*Sic jam res agitur, sententia cognita  
lippis,*

*E medio conlecta foro, madidave ta-  
berna,*

*Ducitur in gyrum, quantum vix por-  
ticus ambit,*

*Pro Vaticano quæ curvat brachia  
Petro.*

*Hinc atque hinc longo cariosa voca-  
bula textu,*

*Particulis multis consuta, & nexibus  
uncis.*

..... *Quid denique?  
post tot*

*Circuitus exit? quod ROMA EST  
TIBURE MAJOR.*

*Quippe novum atque ingens, tanto &  
conamine dignum!*

*Volvitur inde parem similis vesica per  
orbem*

*Post alia; extremo donec concludit  
biatu,*



*DICEBAM. Superi! grates: sed de  
aggere tanto  
Verborum, quota particula est, quam  
tollere velles?*

Irridet non minus miseram Græculi poe-  
sin, quam græcis quibusdam vocibus con-  
spergit ad ostentationem, adplaudentibus  
fociis & parasitis. Sermone eodem.

. . . . . *Fortasse & Græ-  
culus audax*

*Quem male vexat bonor, famæque ur-  
tica perurit,*

*Dissrupto jecore innatam egereret ca-  
prificum.*

*Nunc autem Kappas aliquod si forte,  
& Jotas*

*Struxerit, Ausonio damnatas nubere  
metro;*

*Semimaresque sonent, quod vix intel-  
ligit ipse*

*Qui recitat, versus; Bene, nequiter,  
Euge, beate!*

*Ob amor Adonidum! ob rebus decus  
addite nostris!*

*Ferte citi lauros, lauris innectite  
flores;*

*Huc pueri violas, huc plenis lilia  
cistis*

*Fundite: nulla Venusini jam gloria:  
sordet*

*Naso, & in exsilium tantum non mit-  
titur: ipsi,*

*Ipsi adeo sacrae nutant in fronte  
corollae*

*Virgilio, atque aliquis divinam Aene-  
ida culpat.*

Perstringit postea Scioli hujus Philosophiam geometrica methodo, & ad mechanicas leges conscriptam, sed solidæ ratiocinationis, & artis syllogisticæ penitus expertem. Sermonē eodem.

*Jura Stagivita, longum inviolata per  
ævum*

*Ipse palam damnat, dicitque Geometra  
mavult,*

*Quam Logicus, quom sit caudex in  
utroque. Lycaum*

*Cur tamen adcusat? quæ odii scin-  
tilla? quid est, quod*

*Tortilibus syllogismos magis auribus  
 borret,*  
*Semper & argutis commissa triangu-  
 la quadris*  
*Ostentat? non est res ardua nempe,*  
*docente*  
*Tacquet, lineolas rectas & ducere  
 curvas,*  
*Multiplici & flexu struere ancipites  
 labyrinthos;*  
*At fugere incurfans lunata fronte  
 dilemma,*  
*Admotumque gulæ, & stringentem in  
 BARBARA nodum*  
*Solvere difficile est. Adde huc, quod  
 mystica sigla,*  
*Et magicas illas pueri indoctique fi-  
 guras*  
*Non capiunt, laudantque tamen, ma-  
 joraque credunt*  
*Prodigia, ardentes quam quom vomit  
 ore favillas*  
*Ludius . . . . .*  
*. . . . .*

..... Satis est, si magna vocabula  
discas ;

Et diagonales, tangentes, atque se-  
cantes,

Prisma, parallelas, rhombos, polygona,  
cylindros

Usque crepes. Si te piget hujus, di-  
sce papyrus

( Momenti exigui res est ) variare  
figuris,

( Quas modo si demas, nemo Sophus  
audiet unquam )

Pneumaticum & calamo, Boyle quem  
condidit olim,

Pinge tbolum: rapidis nec dissocianda  
caballis

Æra cava, inter quæ medius non per-  
meat aer.

Describe & inæqualem siphona, tu-  
bosque

Multiplices, cluso doctos signare li-  
quore

Temperiem, ætatisque vices, summum-  
que Decembrem.

*Quæ tu cuncta notis passim distincta,  
bacillo*

*Monstrabis longo, caussasque & no-  
mina dices,*

*Blandimentum ingens bibulis facturus  
ephebis.*

*Materiam vero, ac formam, ramos-  
que comantes*

*Porphyrii, Veterum canones quoque  
Stoicidarum,*

*Socraticamque vetustatem majore ca-  
chino*

*Excipies . . . . .*

*Quid facias? jubet hoc ætas & Gal-  
lia victrix.*

Transgreditur Auctor ad notandam vanam Græculi jactantiam de peritia (quantumvis tenuissima) in re Numaria, & Antiquaria, ac si nemo doctus esse queat, qui harum rerum gnarus non est. Ser-mone tertio:

*Quis mihi nunc autem tinnitus per-  
cutit aures?*

*Fallor? an est, qui me sonitu inter-*  
*pellat acuto?*

*Denuo Rullus adest; & tintinnabula*  
*forte*

*Obtinuit, misero jam pridem debita*  
*collo.*

*Papæ! centenis strident marsupia*  
*nummis.*

*Unde hæc ubertas? Nec enim patri-*  
*monia tota*

*Distrabere optanti tantum daret Ha-*  
*sta peculi.*

*Sis salvus, Rulle, & profit, numma-*  
*tus abunde*

*Quod venis. At non, ille refert, vul-*  
*garia sunt hæc*

*Publicaque, & noto percussa numisma-*  
*ta prælo,*

*Quod tu vere. Habeat sibi talia dives*  
*avarus,*

*Et cui sorte datum est. Nobis vir-*  
*tutis amica*

*Æva placent, & quæ doctrinæ fida*  
*ministrant.*

*Mirum est, quod narras; accendis &  
illa videre*

*Ut cupiam: profer, sodes. Facio  
imo libenter.*

*Nec mora: bis centum exesi fragmen-  
ta metalli*

*Pellicula inversa depromit, & incipit:  
Hæc est*

*Aurelii facies: procurrens adspice  
mentum,*

*Horrentemque pilis barbam. Heic ga-  
leata superbit*

*Roma: vides prælongam hastam, cri-  
stasque minaces?*

*Quæ tamen hæc, nudas monstrat quæ  
turgida mammas?*

*Augusti Neptem agnosco, matremque  
Neronis.*

*Infelix Mater! sua quem male suada  
volentem*

*Perdidit ambitio, & regnandi diva  
cupido.*

*En tibi cum Nato sculptus nitet Em-  
ptor Olyntbi, \**

\* Philippus pater Alexandri M.

*Quid*

*Quid melius Superi! nullas huic com-  
paro gemmas,  
Osculor, & Graia contusam incude  
monetam*

.....

.....

*Ob! ætas miseranda patrum! quom  
talìa soli  
Curabant monumenta fabri, tantoque  
metallo.  
Vascula fiebant, pelves, crassique le-  
betes,  
Plurimus & tumidas migrabat Cæsar  
in ollas.*

.....

.....

*Hæc tu non pereant, cave; sed nec  
sperne lucernas,  
Fictilia & vasa, & sacras Dis ma-  
nibus urnas,  
Poculaque & patinas, muscosæ & fra-  
gmina Trullæ,  
Consule quæ scripto seniuit, gypsoque  
notata.*



*Quid plura? Antiqui nec Consulis ex-  
crementum*

*Abjicies, vitrea sed tantum pyxide  
stercus*

*Servabis caute, lasano quod putruit  
olim*

*Forte Corinthiaco: Et certe vestigia  
odoris*

*Magni servat adhuc, solerti judice  
naso.*

*Denique quidquid erit defossis forte  
sepulchris*

*Inventum; saxa inprimis, quæ in fu-  
nere acerbo*

*Natorum mæsti tumulo imposuere Pa-  
rentes;*

*Et quæ Libertis Libertabusque La-  
tinus*

*Rite inscripsit Eques privati in cespi-  
te fundi;*

*Accipies veluti simulacrum Palladis  
axe*

*Demissum, inque domus adyto inte-  
riore locabis.*

*Tum*

*Tum super his quaecunque voles, nar-  
rare licebit :*

*Vera an falsa, reus nullo sub Iudice  
fies :*

*Dum vigeat vultus, dum vox non bæ-  
reat unquam,*

*Fingere & intrepide discas, Fronto-  
ne Magistro.*

Porro vanitatem accusat Græculi, & huic affinium, qui splendidas instruunt bibliothecas, non tam ut docti sint, quam ut videantur esse; plus solliciti de numero, cortice, ac nitido involucro librorum, quam de illorum doctrina & usu. Ser-  
mone tertio,

*Quin age, & hoc etiam tot demum  
fraudibus adde,*

*Ut tibi scriptorum pateat longissimus  
ordo.*

*Utile & hoc multis; sed enim dele-  
ctus habendus,*

*Curandumque prius, ne cui pittacia  
desint*

*Aurata, ut minio niteant hinc inde  
rubello*

*Chartarum limbi, nullusque ex ordine  
peccet,*

*Et serie in tota mensura sit omnibus  
una.*

*Nec minimum intererit, quo tempore  
prodierint, quo*

*Impressore : Unum venues mutare tre-  
centis,*

*Pagina si Junctam referat tibi prima  
vel Aldum, \**

*Fumida sit quamquam, & tineis ero-  
sa papyrus.*

*. . . Nunc venantur prisca exem-  
plaria docti,*

*Et potiora typis ducunt chirographa,  
quorum*

*Vix longo exprimitur tormento syl-  
laba verax.*

*Quot modo Calliphanes video, quicis  
magna librorum*

*Congeries præstat tantum hoc, ut  
Bardocucullis*

*Imponant pulchre, & vana ambitione  
ferantur!*

*Mul.*

\* *Celebres Typographi seculo XVI.*

*Multos Rullus habet, conquistosque  
libellos.*

*Quid tum, si totos dormire jubentur  
in annos*

*Pulvere conspersi, & præbent convi-  
via blattis;*

*Ipsæ autem præter titulos nil adtigis  
unquam?*

*Attamen, ut facile indocti capiuntur,  
Olympo*

*Copia librorum, tegumenta que Galli-  
ca Rullum*

*Imposuere. Putat tam stultum nemo,  
coemta*

*Cui fuerit magno nil profectura su-  
pellex:*

*Et vero prodest, dum veram excusat  
inani*

*Cortice doctrinam, tantundem & gi-  
gnit honoris.*

Exagitat quoque Græculum ob adfecta-  
tam Criticam, qua in sacris & profanis  
omnia miscentur, ac in dubium vocan-  
tur antiquissimæ traditiones: immo sæpe  
audacter negantur. Sermonem eodem:

... .. primum quæ sit ma-  
gis apta placere,

Materiam sume, & paulisper tempo-  
ris hujus

Ingenio indulge: certa erit fiducia  
plausus,

Si Critices aliquid promas. Tam  
mellea Siren

Nulla modo est, velut historiæ censura  
prioris,

Omnia quæ miscet, tenebrisque invol-  
vit opacis.

Immane est, quantum campo se jactet  
in isto,

Cui cor dulciculæ prurit tentigine  
laudis:

Volvitur huc illuc, ut setas quærat  
in ovo, \*

Lictorum similis, dubiam dum forte  
tabernam

Certatim excutiunt, & tela Ligusti-  
ca quævunt,

Furtivumque salem, aut vetita de in-  
cude Philippos.

Nec

Idem est, ac nodum in scirpo quæfere.

*Nec si longa fides, multos servata per  
annos*

*Commendet quiddam, & velut inter  
sacra reponat,*

*Abstinet: annorum nulla est reverentia  
centum,*

*Quamquam Pragmatici læso de jure  
querantur;*

*Factaque consensu Majorum bucusque  
probata*

*Inter fabellas tamen adnumerantur  
aniles.*

*Tene o sancte Faber, prima vernasse  
juventa,*

*Quom Jessæa tibi sese Virguncula  
junxit? \**

*Omnes reclamant Tabulæ: Vetulum  
mibi nutrix*

*Descripsit puevo, si rite audita re-  
cordor:*

*Omnibus est eadem vox, & sententia  
concors.*

*Nil*

\* Sunt qui negant S. Josephum fuisse  
ætate profectum, quum illi nuplit B. Virgo:

*Nil refert: totum hoc non pendit  
Gallius bilum,*

*Si defint monumenta oculo subiecta  
fidei,*

*Et palpanda manu. Communis opi-  
nio tanti*

*Non est, ut fatuo quæ conjectura ce-  
rebro*

*Nascitur. Hoc tu jure ullum adven-  
tasse negabis*

*Hesperium ad Bætim Zebedæo de pa-  
tre natum, \*\**

*Ut multum obsistant, atque indignen-  
tur Iberi.*

*Nec Constantini scabiem lustralibus  
undis*

*Detersam, & sacris permissam Regi-  
bus urbem,*

*Monstratumque polo vexillum, impu-  
ne relinques.*

*Cerdones isthac credant, puerique fa-  
brovum,*

*Qui-*

\*\* Item adventum S. Jacobi in Hispanias, & Baptismum Constantini ac sanitatem ipsi restitutam, & ostensum in cœlis labarum Crucis, &c.

*Quique locant bumeros; omnis mu-  
liercula demum,  
Quæ nescit legere, & nulli est addi-  
cta Togato.  
Te ridere decet, quidquid sibi finxit  
Avorum  
Credula simplicitas. Hoc est modo  
scire aliquid plus  
Quam vulgus, supraque assurgere ver-  
tice toto.*

Dicam scribit Auctor libris Græculorum,  
quos onerant parergis ad rem non per-  
tinentibus, sæpe etiam alienis, quibus-  
que titulos præfigunt magna & nova in-  
venta necquidquam promittentes. Ser-  
mone tertio :

*Unde tamen tam multa simul deliria  
possum  
Consuere, ut non exiguus liber exeat?  
Audi;  
Sunt hodie libri, ut muliebria corpo-  
ra, quæ dum  
Conclavi neglecta suo, atque inculta  
morantur,*



*Macra videbuntur, brevibusque simil.  
lima sardis.*

*Fac tectis prodire eadem, spectanda  
per urbem,*

*Non eadem forma est: nam quom pe-  
ronibus altis*

*Incubueve pedes; quom tot redimi-  
cula frontem*

*Ædificant, circum & vestis sinuosa  
tumescit,*

*Protinus augetur species, majorque  
videri,*

*Atque alia: Ingentes una implet fe-  
mina postes,*

*Angustatque viam, magnos imitata ele-  
phantos,*

*Aut Orcam, per aquas vasta se mole  
ferentem.*

*Non quidquid libro adgeritur, liber  
est . . . .*

*. . . . . nimia farragine  
denta*

*Defectisque supervacuis pars prima  
libelli,*

*Magnaue agens claro cum Mæcenate,  
peribit,*

*Cujus in egregias laudes, atque inclyta  
eundum*

*Facta patrum plenis velis: Tum Le-  
tor amicis*

*Interpellandus verbis: Extorsit  
Opellam*

*Vir Princeps, & Amicorum mihi  
Maximus: Ægrè*

*Invitusque fero donari luce: vo-  
lentem*

*Perficere inceptum, limaque diu-  
tius uti,*

*Defecit tempus: graviores otia  
curæ*

*Invidere: Piget properanti falce  
dolatum*

*Edere opus, subsecivis quæ scri-  
psimus horis*

*Cessantes, tantum ut privata in  
forte lateret:*

Plura tamen sunt, quæ nulli explorata Priorum,

Necquidquam tentata, & adhuc incognita, primus

Expedio dictis: In publica comoda nemo

Dexterius rem tractavit. Sic deinde sequere,

Grandia posthabito adspersgens promissa pudore.

Hæc dum præfavis multus, jam pagina fluxit

Plurima per digitos: quid postea?

... Anne tibi nolent impendere paucos

Verficulos, qui nil remuunt laudare Poetæ,

Dummodo clarescant, & libro legantur in omni?

Hoc ergo spatium teneant . . . . .

... Myopum genus, & venalia corda:

Om-

*Omnes ingenium Auctoris mirentur &  
artem.*

*Nec tibi non aliquot pagellas auferat  
Index,*

*Qui citet emptorum nomen patriam-  
que bonorum,*

*Queis sua cudendo conlata est symbo-  
la libro.*

*Sic sensim tibi crescet opus, totoque  
libello*

*Appendix jam major erit.*

Invehitur Sectanus in morem hujus se-  
culi, quo Græculi aliorum laudes emen-  
dicare student, ita ut unus alterum cru-  
ditionis & doctrinæ encomio super astra  
adtollere studeat, famamque publicam si-  
bi mutuis obsequiis mercentur. Sermo-  
ne tertio :

*Nam modo cui tantum est animi? Per  
mutua certant*

*Officia, inque vicem laudant, laudan-  
tur & Idem*

*Inter se tacito conjuncti fœdere  
multi,*

*Alterius faciem quamvis non viderit  
alter.*

*Sic asinis videas costis conjungere  
costas,*

*Officioque pari se ultro citroque fri-  
cave,*

*Quod neuter faceret, fieri nisi posset  
utrinque.*

*Ulterius ventum est. Tacitum sub  
laudibus uncum*

*Litera adulatrix quondam gestare so-  
lebat :*

*Captabat timide tunc laus meritoria  
laudem,*

*Quosque dabat plausus, sponte exci-  
piebat eosdem.*

*At nunc incepit non dissimulanter  
agi res :*

*Hoc unum per amicitiae venerabile  
nomen*

*Postulat a magno ambitiosus scriptor  
amico*

*Laudari : exclusus pudor est : it cre-  
bra reditque ,*

*Semper & immeritas mendicat episto-  
la laudes.*

*Quid faciat populus, qui nescit talia?  
credit*

*More suo, magnamque nefas & mor-  
te piandum*

*Esse putat, si forte horum neglexeris  
unum,*

*Quem magni facit, & stellis pæne in-  
serit alter.*

*Quod si aliquis, sola qui se virtute  
tuetur,*

*Qui neque mentiri vult, nec menda-  
cia ferre,*

*Paullum intercedat, fœdæque ad scam-  
na latrinæ*

*Laudatum pariter, Laudatoremque  
releget,*

*Provocat utrumque, & populares ne-  
scius iras*

*In caput ipse suum arcessit.*

Concludere juvat cum Auctore, postquam pleraque recentiorum studiorum genera critico pede, eoque ligato percurrit, his-

ce versibus, quos tum sermone secundo,  
tum quarto ad finem adfert :

*Quorsum hæc? non ut proposito mo-  
veare, sed artem*

*Ut teneas, cujus summa est impone-  
re; nec jam*

*Virtutem quæras, vanam virtutis at  
umbram.*

*Nam quæ religio, quom fallere gau-  
deat ætas,*

*Et pretium referat magni impostura  
laboris?*

.....

*Videbis*

*Hunc pene exanimem surda pendere  
fenestra,*

*Illum, cui fulget modio saturata fa-  
rina*

*Cæsaries, multo & nasos invitat  
amoro,*

*Ire redire viam sublustri vespere ean-  
dem,*

*Omnes nil agere. Inde dies labuntur  
inertes;*

*Nec*

*Nec melius noctes; inolevit publica  
quando*

*Consuetudo vices invertere, luce cu-  
bare*

*Mollibus in stratis, luna impendente  
beatos*

*Congressus colere, & lusus producere,  
donec*

*Humida subducat tardus savvaca Boo-  
tes.*

*Publica quom sint hæc, tamen aurea  
volvitur ætas;*

*Quique eadem faciunt, hedera donan-  
tur amica,*

*Inflatisque crepant buccis, & pulpita  
frangunt.*

*Quid facit hos animos? scio, tres  
quatuorve libelli.*

*Perlecli ructus inter post prandia  
cursim.*

*Tam parvis prostat nostris doctrina  
Calendis.*

*Sed tu, cui læva sub mamma nobile  
quiddam*



radices montis Palatini. Solitudo primo circa me: inde ut fluctus e mari paulatim surgere visa est ingens multitudo pallentium, exsangium, macilentorum, & a quibus Cæsar jure timuisset. Si recte notavi in crepera adhuc luce, partim e Bibliotheca Tiberina veniebant, partim ab Ulpia, ubi lintei & Elephantini libri. Recta illis iter ad templum Apollinis Palatini. Senatus heic Literatorum congregatus erat, inter quos pauculi senes, pauculi Viri, plerique juvenes, & quidam imberbes adolescentes: alii semibarbari, semigræci, semilatini. Sparsim adhuc stabant Patres, muginantesque & murmurantes: quum e curuli sua surgens Cicero silentium manu poposcit & impetravit. Ille vultu manuque formatus in habitum Oratorum sic cœpit:

*Oratio Ciceronis in Corre-  
ctores.*

*Etsi meæ partes sunt P. C. magis exquirendæ sententiæ, quam dicendæ: tamen in hac tanta Republica quæ agitur, necessario prædicendæ quædam videntur.*  
Me-

Memoria tenetis, quod gaudium omnium nostrum fuerit, cum ante paucos annos in Europa renatum vidimus nomen literarum. Legebamus, colebamus, a situ & tenebris eruebamur, adnitente in Italia Leone, in Galliis Francisco, divina quadam virtute Viris. Quid multis? in spem, immo fiduciam ingressi eramus recuperandæ pristinae dignitatis. Cum ecce exortum est genus hominum audax, iniquus, ambitiosum, qui Correctores se dicunt. Incredibile est P. C. quam stragem, & quam late dederit ista lues. Philosophi Rhetoresque olim a Majoribus nostris urbe pulsati sunt ob suspicionem non maleficæ, sed novitiæ doctrinæ: nos Tarquinius istos impune grassari patiemur? At enim ne quid præter legem, inquiunt, & clementiam Majorum. Habemus vero P. C. habemus ejusmodi legem; sed tanquam gladium in vagina reconditum, cujus aciem patimur bebescere. An non lex Cornelia de Sicariis est? Non Sicarii isti? Quoties ergo prebensi cum stylo & telo sunt vocis jugulandæ causâ? Sedete & expectate exemplum Caligulae, ut graphiis in Curia discerpant unum aliquem Senatorem. Augeo hæc scilicet, & invidiae flammam subjicicio viris bonis. Utinam?  
sed

sed quis ex istis nos adit, nos legit, nisi  
 uendi secundique causa? id enim uocant  
 corrigere. Hoc rectum est, hoc non re-  
 ctum. hoc non implet aures meas. hoc  
 non latinum, etiamsi Cicero ita locutus  
 sit. Stigmatias hic locus, hic mutilus.  
 Bene & in tempore acclamastis P. C. cru-  
 cem illis. Postremi hominum! vos Consu-  
 laribus uiris, claris per tot imagines ma-  
 jorum, frontem faciemque signetis per lu-  
 dum & jocum? Nos ipsi P. C. quoties  
 istorum telis & insidiis appetiti sumus?  
 A viginti jam annis Correctorum notis  
 distrabor, laceror: & minutis ictibus cot-  
 tidie ferior, ut sentiam me mori. Nam  
 illud miserrimum est, quod honeste saltem  
 occumbere non licet, & defungi una pla-  
 ga. Tbuscus aliquis in me seuit: Tbu-  
 sco successit Venetus; illi Gallus; Gallo  
 nescio quis e Frisiis & Thuringis. Et  
 tamen hi hostes nostri inter nos uiuunt.  
 Uiuunt? immo etiam in Senatum ue-  
 niunt: notant & designant oculis ad la-  
 nienam unumquemque nostrum. O Diu  
 immortales, in qua urbe uiuimus? Hic,  
 hic sunt, in hoc ipso confessu nostro, qui  
 de meo uestrumque omnium exitio cogita-  
 runt. Et tamen, o patientiam! Hosce  
 ego Consul uideo, & quos iam diu ferro  
 ul-

ulcisci oportuit, voce nondum vulnero. Sed desino, ne longior oratio mea pro præiudicio fuisse videatur, aut sententiæ vestræ præiuisse. Te Apollo Palatine, in cuius sanctissimo templo nunc convenimus, præsidem præstitemque Musarum, cuius auxilium nobis literisque in rebus incertis certum saepe fuit, quaeso venerorque, uti pacem nobis ab istis propitius davis, & Senatui mentem, quod maxime e Republica erit, sentiendi, & libertatem id ipsum censendi.

Finierat cum adclamatione varia Cicero. Surrexit interea Crispus Sallustius, Crispus ille, qui *Romana primus in historia*; cui caput pileolo tectum, focale circa collum, & ipse, novo more, palliolatus, atque infit:

*Oratio Crispi Sallustii contra  
Correctores.*

*Clementia & lenitas vestra P. C. magnum  
mibi metum faciunt de Correctoribus  
dicendi, ne aut vobis parum animi adver-  
sus eos sit & illis præsidium novum in au-  
da.*

dacia sua pariter, & pudore vestro. Satellites quidem eorum defensoresque, homines clari nominis & doctrinæ, nequeo satis mirari. Consilia nefaria in nos coita sunt; de vita cernimus, aut libertate: & ea proditum perditumque eunt isti Corneliorum & Varronum scilicet præclara proles. Pro, di boni! Ubi Porciæ & Sempronie leges? Illis licetor, & virga, & securis defensa a tergo nostro sunt, at nos flagris notisque servilibus obnoxii agimus adolescentum, aut vix virorum. Hanc in spem clarissimorum ingeniorum monumenta publicata sunt? hæc præmia pro labore, & noctibus toties vigilatis? Quorum eos adeo non pœnitet, ut facta in gloriam numerent: novi Romuli scilicet literarum & Camilli. Quin soli omnium post genitas leges sententiam ferunt e conjecturis. Divinos se dicunt. En, cui ludibrio canities nostra servata est? Di bene vertant. Censeo antiquemus collegium Augurum præ istis, & Quindecimviro fatalium librorum. Pessimi mortalium. Ita vobis mala nostra irrisui sunt? Et merito, quoniam mollitia decretorum illis metum, nobis dignitatem ademimus: & pacem libertatemque etiam nunc optamus magis, quam defendimus. Quin agamus,  
at.

atque obviam eamus P. C. nihil prolatantes: neu spolia nostra diutius penes ignavos indignosque sint. Ego ita censeo, per Prætores urbanum in Comitio comburendos eorum libros: ipsos in vinculis habendos: neu quis de solvendis ad Senatum populumve referat. Qui aliter facit, eum contra Rempublicam facturum.

Abcedente Crispo (neque enim aut mos, aut valetudo ejus ad longam orationem erant) capita inter se paullisper contulerunt Poetæ, gens præ reliquis infestior Correctoribus, & delectus est, qui omnium nomine diceret P. Ovidius. hic ergo surrexit minax vultu & oculis:

Oratio P. Ovidii adversus  
Correctores.

Patres Conscripti, inquit, vetus exilium meum Tomos me referte, ubi ista non videam, non audiam. Quæ enim Barbaria non ante mores istos? aut quæ vita nobis in hac colluvie Correctorum? Perit nativa illa & germana Poesis, postquam hoc pestilens sidus ingenia adflavit. Videte, quis adolescentium bodie Phæbi laurum, ut nostro more loquar, mordere audeat? aut si quis audeat, quis lucidos &

*fluentes versus scribere? Quis carmen  
mibi dat ingenui & sani coloris? Pi-  
gmenta nimirum quæruunt, & adscititios  
fucos, & ab Ennio usque Pacuvioque de-  
mortua verba. Ex qua farragine si quid  
possunt adsuere, ne illi gemmam id cen-  
sent, & quasi in prætexta purpuræ cla-  
vum. Itaque redeunt iterum Saturninæ  
lemæ, & fiunt*

Verfus, quos olim Fauni Vatesque  
canebant.

*Stomachor. quis me meosque numeros?  
quis Statium, Lucanum, Silium audet ex-  
primere, ut non statim audiat. Odi pro-  
fanum vulgus & arceo? Eo enim ven-  
tum est. numerus censemur, & plebs poe-  
tarum. Ite boni patres, & retinete, cen-  
seo, istos Lucumones. Quanquam utinam  
stultitia tantum peccarent: lævitia est.  
Non enim contemnunt solum nos; etiam  
lædunt. Quæ stigmata imposita nobis ab  
illis? quæ lentæ vibices? . . . Nudate  
corpora nostra, mentiav, si non plures  
cicatrices nobis, quam versus. . . . Quid  
noster*

Romanæ fidicen Lyrae?

ille quidem semiustulatus lentissimo igne.  
 Faces illi Lampadius quidam admovit: re-  
 stinxit alius ingesta bydrice suæ aqua.  
 Quid Catullum loquar, & Propertium &  
 Tibullum? Prometheus non ultra fabula  
 est. Ecce nos, quorum viscera nova fa-  
 me cottidie rimantur, & scindunt infau-  
 stæ aves. Vellem Martialis adesse posset  
 miserrimus Poetarum, quem ajunt, nimis  
 Romane scripsisse. Itaque inventus est ne-  
 scio quis popa, qui non vitia ejus, sed  
 ipsum excidit; & virum bonum, de quo  
 nec virgo nec femina quæstæ esset, fecit  
 intestabilem. Nec alia re abest novus  
 Thuscus iste aruspex, quam quia sciebat,  
 mutilos & debiles curia arceri ex lege  
 prisca. O fas, o fides! Hæc fieri bonis,  
 bono semine natis? Vos Medici ferte  
 opem, Æsculapia proles. Exurge tu, cui  
 brachium truncatum; tu, cui crus fra-  
 ctum; tu, cui excussi oculi. Misere mini  
 o Patres, & istos nefarios condignis pæ-  
 nis & ultione maclate. Ego sic censeo.  
 Quandoquidem Correctores calamo, stylo,  
 ferro rem gerunt, nec finem ullum fa-  
 ciunt grassandi; sitque e Republica judicia  
 & leges exerceri: eos omnes lege Corne-  
 lia, quæ de sicariis est, accusandos. Si  
 quis severiorem sententiam attulerit, sen-  
 ten-



*tentia mea nulla esto : illius rata esto.  
Hæc censeo.*

Dixerat ardens incitatusque Ovidius,  
nimium vel ingenio vel adfectui suo, ut  
solet, indulgens.

*Cunctique fremebant*

*Affensu vario Patres.*

Itaque clamor jam, & confusæ voces.  
Tribonianus inter Jurisconsultos audie-  
batur :

*Ecce me infelicem ! & o vanos labo-  
res meos ! Non corrigunt me solum, sed  
corrumpunt : quasi mala, immo nulla fide  
in excusandis legibus versatum. Quod  
sanctum, quod inimmotum est, tangunt  
violatores majestatis, & ultore gladio pu-  
niendi. Clamabat e Philosophorum sub-  
sellis Plinius : Demite mihi has notas,  
has literas, quas Barbarus inussit. Ne ul-  
tra imperitus, ne fur, ne plagiarius au-  
diam, Vir illustris, & Principum amici-  
tia notus. Ante omnes penas mihi det  
ille, qui in me unice conspiravit Pænus.*

Plures erant ejusmodi voces, & me  
judice Correctorum res in extrema tegula  
stabant : Cum ecce Asconius Pædianus,  
& Verrius Flaccus, & A. Gellius, plures-  
que

que quorum ferrum in igne erat, huc il-  
 luc concurrabant, prensantes Patres, oran-  
 tesque ut causam cognoscerent, nec to-  
 tam gentem damnatam vellent ob noxam  
 paucorum. Interea Marcus Tullius cir-  
 cumibat ad placandos animos, sedandum-  
 que tumultum, & cum eo severo vultu  
 Prætor Cato. *Patres Conscripti*, inquit,  
*servenus disciplinam Curiaë. Quæ res hæc?*  
*Vos mera ovilia fecistis. ita balatis. sede-*  
*te, quiescite, & sententias perrogemus.*  
*Dic tu M. Varro.* Ad Varronis nomen  
 subitum silentium fuit. Erat admiratio  
 viri magni, docti, & quod inter omnes  
 constabat, partium nullarum. Surgit  
 Varro, & inquit:

*Oratio M. Varronis pro  
 Correctoribus.*

*Studiis adhuc P. C. certamus, non senten-*  
*tiis. Vulnera quæ quisque a Correcto-*  
*ribus acceperit, commemorat: medicinam*  
*quam acceperit, tacet. Adeo lubentius ho-*  
*mines injurias, quam beneficia memini-*  
*mus: & ultioni, quam gratiæ parati su-*  
*mus. Mi P. C. alia mens est, sine stu-*  
*dio, sine odio rem exsequi: & sententiam*  
*non ex ambitione mea, sed usu publico di-*  
*cere . . . . Typographia hac ætate in-*

venta est, dono Deorum quidem : non du-  
 bio tamen exitio nostro, ni isti obstitis-  
 sent, qui administrant in libris corrigendis.  
 Si veterum librorum ope, partim  
 ingenii fiducia, Di magni, quot vulnera  
 nostra, quod cicatrices sanarunt! Tu M.  
 Tulli, tu C. Crispe, horum opem non sen-  
 sisti? Non tu Ovidi? impius es, si negas,  
 stultus si non fateris. Ego ipse non Josepho  
 Scaligero civicam de me coronam dedi?  
 dedi libens meritoque. Magna enim hæc  
 res P. C. mihi credite, magna & non  
 unius e plebe doctorum. Si quis agrum  
 nostrum stantem sentibus deruncinet, be-  
 neficium conferre censebitur: non confe-  
 rent ii, qui a vitiis monumenta nostra  
 purgant, quibus solis vivimus? Et ta-  
 men modus quidam, & ars ejus rei est,  
 fateor, ne fiat quod in veteri fabula est,  
 Thracius rusticus, qui cum vicinum pu-  
 tantem vites oleasque vidisset, ipse a stir-  
 pe omnes incidit. At enim peccant sæpius  
 Correctores, & vulnus faciunt, dum me-  
 dentur. Hic tu te Ovidi jactas; laudo,  
 nec unquam gratiam tibi referet Crispus.  
 Sicarios appellas, & lege Cornelia damnan-  
 dos. Cur tandem? Patrem aliquis in acie  
 servare voluit, & dum hostem petit, gla-  
 dio aberrante occidit. dic tu Ser. Sulpici,  
 parvicida est? Negabis, voluntas enim  
 est

est peccandi, quam leges puniunt, non eventus. Simile in istis fit, qui cum voluntatem attulerint juvandi, interdum tamen aberrant & lædunt. Bivium enim ad corrigendum, Libri, & Conjectura. Prima via satis certa & tuta est: lubrica altera, præsertim cum in eam audaces & temerarii adolescentes inciderint, aut adolescentum similes senes, quos non eo defensum. Veros quidem germanosque Criticos magno opere suadeo ut retineatis. Magnorum arborum umbræ nos & altitudo delectant, radices stirpesque non item: simile in Correctoribus est, quorum opera incorrupta hæc pulchritudo artium manet, quas miramur, manebitque in æternum, liceat modo per ignavos & inficientes istos, qui alienam operam invident, parci ipsi sua. Ego P. C. sic censeo.

Hæc quum dixisset Varro, incredibile est, quantum animi mutarint. Illi ipsi inter Patres, qui infensi antea infestique Correctoribus, succlamarunt illud tritum in adfensu OMNES, OMNES. Correctores discurrebant læti, hilares, & tanquam absoluti. Varro recenti inclinatione animorum utendum ratus, Consullem admonuit, uti discessionem permetteret, fieretque S. C. Permisit (Crispo

tamen prius in aduersa subsellia transire iusso) in hæc verba : QUI HÆC SENTITIS, IN HANC PARTEM: QUI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QUA SENTITIS. Pedibus plerique ierunt in sententiam Varronis. Discessione facta Consul dicis morisque caussa addidit HÆC PARS MAJOR ESSE VIDETVR. Itaque mittens Senatum, solemniter verbo dixit NIHIL MORAMUR VOS P. C.

Sequitur Senatus Consultum post maioris partis vota formatum, ac publice promulgatum in hæc verba :

### FORMA SC. TI.

M. TVLLIO, M. F. CICERONE,  
M. ATTIO PLAVTO COS. PRID.  
KAL, OCTOB. IN ÆDE APOL-  
LINIS PALATINI, SCRIBVN-  
DO ADFVERVNT. M. TERENCE-  
TIUS VARRO. P. NIGIDIUS FI-  
GVLVS. VERRIVS FLACCVS.  
C. CORNELIVS TACITVS.

Quod

Quod M. Tullius COS. V. F. \* de  
Correctoribus, D. E. R. S. \*\* ita cen-  
suit.

Correctores hoc difficillimo rei lite-  
rariae tempore utibiles necessariosque  
esse.

Non eos tamen promiscuos; non, in-  
doctos, rupices, petrones, sed qui con-  
silio, reque apte juvare scriptores priscos  
possint,

Ea re Senatui placere, uti lex Anna-  
ria servetur: neu quis minor XXV.  
annis Correcturam petere, gerere possit;  
quique aliter petierit, gesserit, vicio crea-  
tum videri, & correctiones ejus in acta  
non mitti.

In senibus depontanis, quique mayo-  
res annis LX. Sirempse legem esse.

Utque Censores M. Fabius, Pompo-  
nius Atticus, alter ambove, de doctrina  
deque moribus petitorum cognoscant,  
judicent. Quos hinc admiserint, probos  
esse: quos rejecerint, repulsos & reji-  
culos.

Si

\* Verba fecit. \*\* De ea re Senatus.

Si quis e libris bonis fidisque correxerit, laudi semper esse, si quis e conjecturis, noxæ, nisi eæ claræ, liquidæ, certæ sint.

Qui aliter cumque divinationibus usus; in eo leges veteres & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores plerosque teneat, Litigium & Prurigo: utrique rei Senatam prospectum præcautumque velle.

De Litigatoribus uti quicumque post hunc diem cum altero velitari, præliari, verbis scriptisve ausus fuerit: eum eosve in ludi gladium damnari; uti proximo munere, conligati inter se, pugnent sine missione.

De Pruriginosis, quos manum stilumque abstinere a nullo loco audiant, sano sive insano: uti Cornelius Celsus Ædilis dispiciat, qui ex iis sanari possint, quique non possint.

Qui posse videbuntur; eos deponi in templo Æsculapii, quod in insula est, ibique

que ellebori bibere quantum satis est :  
Qui non possint, eos in exilium ad Cim-  
merios deportari, ubi lucem non videant  
& libros non legant.

Si quis ambiguae valetudinis erit,  
eum ad tempus relegari in Atlantidem  
insulam, ubi memorantur somnia non  
videri.

Quoniamque multi ex hoc ordine  
pulsatos acceptosque indigne se a Cor-  
rectoribus querantur; placere universis  
conscriptis eam injuriam contumeliam-  
ve impunem non esse, in vivis mor-  
tuisque.

In vivis placere, uti L. Cassius Præ-  
tor de causa eorum cognoscat, quos-  
que noxæ ejus compererit, eos melle &  
sesamo oblitos, diem unum destitui ad  
caldum solem stilis vesparum & musca-  
rum.

In mortuis, uti Menippus Philoso-  
phus, qui viam novit, ad inferos pro-  
ficiscatur, & cum Æaco de pœnis eo-  
rum agat.



Hæc ita censuerunt. Si quis huic  
S. C. intercessisset, placere auctoritatem  
perscribi, deque ea re ad Senatum po-  
pulumque referri.

*Finis Somnii Lipsiani, &  
bujus Libri.*



*INDEX*



I N D E X  
R E R U M E T V E R B O R U M  
L I B R I X I I I .

L. Indicat Librum. N. Numerum  
Libri.

A.

*Abusus Criticæ scepticismum inducit !  
aufert sanum iudicium: avocatur a stu-  
diis necessariis.* L. 13. N. 28.

*Abusus Criticæ famam & charitatem pro-  
ximi lædit: in Religionis negotio tur-  
bas excitat.* L. 13. N. 28.

*Acta Eruditorum Lipsia.* L. 13. N. 13.

*Acta*

## Index Rerum

- Acta Sanctorum tum a Catholicis, tum ab Acatolicis vitiata.* L. 13. N. 17.  
*Acta Sanctorum Bollandistica: Operis hujus elogium.* L. 13. N. 17.  
*Adulatores & Parasitæ in re literaria.* L. 13. N. 33.  
*Animadversiones in quosdam Criticos historiae Ecclesiasticæ.* L. 13. N. 31.  
*Animadversiones generales de arte Critica.* L. 13. N. 32.  
*Argumentum negativum in Criticis quantum valeat.* L. 13. N. 28.  
*Monitum Mabillonii de hoc argumento.* L. 13. N. 28.  
*Aristoteli artis Criticæ inventionem aliqui tribuunt.* L. 13. N. 6.  
*Aristoteles severam Criticam exercuit in Philosophos antecessores.* L. 13. N. 6.  
*Cur ipse tam obscure scripserit?* L. 13. N. 6.  
*Aristotelem multi celebres Critici apud Græcos & Romanos secuti sunt.* L. 13. N. 6.  
*Artium & scientiarum origo e judicio prudentum.* L. 13. N. 1.  
*Judicium prudentum debet certis legibus circumscribi.* L. 13. N. 1.

Et Verborum Libri XIII.

B.

- Baronius Cardinalis : hujus Annalibus an-  
sam præbuerunt Centuriatores Magde-  
burgenses.* L. 13. N. 10.  
*Batavi Narrationes Reipublicæ Literariæ  
concinnarunt.* L. 13. N. 13.  
*Biblia Polygota quinam ediderint.*  
L. 13. N. 18.  
*Bibliothecæ ad solam ostentationem instru-  
ctæ.* L. 13. N. 33.  
*Bollandus cum sociis, qui Acta Sanctorum  
conscripterunt, & adhuc conscribunt :  
Numerus voluminum.* L. 13. N. 17.  
*Tbesaurus Antiquitatum Patrum Bol-  
landistarum.* L. 13. N. 17.  
*Budæi singulare elogium.* L. 13. N. 8.

C.

- Calepini ( Ambrosii ) magnum Dictiona-  
rium : ejus elogium.* L. 13. N. 12.  
*Calmet ( Augustinus ) insignis Commentator  
in universam S. Scripturam.* L. 13. N. 18.  
*Cani ( Melchioris ) effatum de crisi in Pa-  
tres & Scriptores Ecclesiasticos ferenda.*  
L. 13. N. 26.  
*Carolus M. instaurandis artibus & scien-  
tiis initium dedit.* L. 13. N. 12.

## Index Rerum

- Critica circa Concilia : procuravit editiones genuinas & splendidas qua Generalium, qua Singularium. L. 13. N. 16.*
- Critica circa Acta Martyrum & Sanctorum. L. 13. N. 17.*  
*Restituit deperdita Sanctorum Acta. L. 13. N. 17.*
- Critica circa Opera Patrum, & S. Scripturæ. L. 13. N. 18.*
- Criticæ alia duo principia, scilicet Traditio, & consuetudo seu usus universalis. L. 13. N. 19.*
- Criticæ abusus. L. 13. N. 26.*
- Criticæ perversæ causæ, partim invidia, partim intemperantia ingeniorum. L. 13. N. 26.*
- Critica vera incomparabile bonum generis humani. L. 13. N. 26.*  
*Primis disciplinarum parentibus gratiæ habendæ, etiam dum hinc inde errarunt. L. 13. N. 26.*
- Criticæ perversæ exempla. L. 13. N. 30.*
- Criticorum ingens numerus, sed pauci genuini. L. 13. N. 4.*
- Criticorum Veterum conventus celebrati. L. 13. N. 4.*
- Critici Veteres recensentur. L. 13. N. 6.*

*& Verborum Libri XIII.*

*Critici Recentiores enumerantur.*

L. 10. N. 8.

*Critici circa sacros Codices.* L. 13. N. 9.

*Critici in vario sublimiorum scientiarum genere.* L. 13. N. 10.

*Critici circa Grammaticam, Poesin, & Rhetoricam.* L. 13. N. 12.

*Critici circa Veterum Scriptorum profanorum opera in humanioribus literis.*

L. 13. N. 12.

*Critici circa disciplinas Philosophicas.*

L. 13. N. 13.

*Critici circa Chronologiam & Geographiam.* L. 13. N. 13.

*Critici circa rem Numariam, Diplomaticam, & Inscriptiones.* L. 13. N. 13.

*Critici circa historiam Ecclesiasticam.*

L. 13. N. 14.

*Critici circa Theologicam scientiam.*

L. 13. N. 15.

*Critici circa Concilia.* L. 13. N. 16.

*Critici circa Acta Sanctorum.*

L. 13. N. 17.

*Critici circa Patrum Opera.* L. 10. N. 18.

*Criticorum quorundam Acatolicorum insolentia,*

L. 10. N. 27.

D.

Index Rerum

D.

- Damna, quæ libri Critici non pauci, vulgari lingua conscripti, inferunt juventuti.* L. 10. N. 29.  
*Damna quæ parit abusus Criticæ.* L. 13. N. 28.  
*Dictionariorum historia, qua ratione confecta fuerint.* L. 13. N. 12.  
*Diplomaticæ rei cultura ope Criticorum.* L. 13. N. 13.  
*Diocletiani Imp. jussu S. Scripturæ Codices, & Acta Sanctorum combusta fuerunt.* L. 13. N. 17.

E.

- Eloquentia clamosa & inanis perstringitur.* L. 13. N. 33.  
*Ephemerides sapientum.* L. 13. N. 13.  
*Ephemerides Philosophicarum Tractationum, quas ediderunt Angli.* L. 13. N. 13.  
*Ephemerides Patrum Societatis Trevol-tiensium sub Ducis Cenomanensis auspicio.* L. 13. N. 13.  
*Primi scriptores Ephemeridum Trevol-tiensium.* L. 13. N. 13.

Et Verborum Libri XIII.

*Epochæ tres literariæ Republicæ : in Græcia, in Italia, in Europa tota.*

L. 13. N. 33.

F.

*Facies misera Grammaticæ, Poeticæ, & Rhetoricæ medio ævo.*

L. 13. N. 12.

*Facies tristis Historiæ sacræ & profanæ ante Criticam.*

L. 13. N. 14.

G.

*Galloisius ( Joannes ) Abbas continuat ephemerides sapientum.*

L. 13. N. 13.

*Geometria emendata per Criticos.*

L. 13. N. 13.

*Glossaria diversa medio ævo conscripta.*

L. 13. N. 12.

*Grammatici primi fuerunt, qui artem Criticam exercuere.*

L. 13. N. 6.

*Grammaticorum seu Criticorum fata.*

L. 13. N. 7.

H.

*Historia quomodo corrupta fuit.*

L. 13. N. 14.

*Ab historia duplex hominum genus est arcendum.*

L. 13. N. 14.



## Index Rerum

- Traditionibus historicis quandonam fides adhibenda sit.* L. 13. N. 14,  
*Historiæ obest & nimia credulitas, & incredulitas nimia.* L. 13. N. 14,  
*Historiæ Ecclesiasticæ Auctores veteres & recentiores.* L. 13. N. 14,  
*Historicorum Ecclesiasticorum characteres & notæ.* L. 13. N. 14,  
*Historia editionum Conciliorum: quinam eas curaverint,* L. 13. N. 16,

### I.

- Incrementum Criticæ seculo XV. & seq.* L. 13. N. 8,  
*Inscriptionum thesaurus a Criticis adornatus.* L. 13. N. 13,

### L.

- A Lapide ( Cornelius ) S. J. Insignis interpretres S. Scripturæ.* L. 13. N. 18,  
*Libri supposititii.* L. 13. N. 7,  
*Librorum a Criticis quibusdam conscriptorum artes occultæ ac fraudulentæ.* L. 13. N. 29,  
*Libri cum plausu editi, in quibus vix doctrinæ aut eruditionis aliquid est reperi-*  
*re.* L. 13. N. 33,

*Epitome Libri XIII.*

*CAPUT V.*

*ABUSUS CRITICÆ, SEU  
CRITICA PERVERSA.*

*§. I.*

*Causse hujus abusus.*

*XXVI.*

*Vera probaque Critica incomparabile  
bonum est humani generis : sæpe  
tamen degenerat in malam. Causse  
hujus rei est partim invidia, partim  
intemperantia Criticorum. Primis di-  
sciplinarum parentibus gratiæ semper  
habendæ, licet interdum erraverint.  
Quinam Scriptores censura digni sint.*

*XXVII.*

*Censuræ malorum notæ. Quorun-  
dam præsertim Acatholicorum insolentia.*

*§. II.*

*Epitome Libri XIII.*

§. II.

*Damna, quæ parit abusus  
Criticæ.*

XXVIII.

*Primum: abusus Criticæ Scepticismum inducit. Secundum: aufert sanum iudicium. Tertium: avocat a studiis necessariis, & officiis Reipublicæ. Quartum famam & charitatem proximi lædit. Quintum: in Religionis negotio turbas excitat.*

XXIX.

*Damna, quæ libri Critici non pauci, vulgari lingua conscripti, inferunt juventuti. Artes occultæ ac fraudulentæ horum librorum, & Auditorum.*

§. III.

*Exempla perversæ Criticæ.*

XXX.

*Animadversiones in Criticos artium liberalium, præcipue A catholicos. De Scri-*

*Epitome Libri XIII.*

*Scriptoribus Centuriarum Magdeburgensium.*

XXXI.

*Alice animadversiones in Criticos Historicos Catholicos.*

XXXII.

*Animadversiones generales in artem Criticam.*

APPENDIX.

CRITICA SUPER  
CRITICAM.

§. I.

*Epicrisis Sectaniana.*

XXXIII.

*Tres Literarice Reipublice Epochæ:  
in Græcia: in Italia: in Europa tota. Ultima omnium fecundissima & ingeniis, & artibus atque scientiis. Ad summum apicem nunc evecta literatura habet, cur timeat casum.*

*Epitome Libri XIII.*

*sum. L. Sæctani Satyræ de sciolis  
hujus temporis.*

§. II.

*Epicrisis Lipsiana.*

XXXIV.

*Justi Lipsii Satyra Menippæa,  
seu somnium & lusus in ævi nostri  
Criticos. Oratio Ciceronis, Crispi  
Salustii, & Ovidii, ac querelæ Tri-  
boniani & Plinii contra Correctores.  
Oratio M. Varronis pro Correctori-  
bus: Litis compositio: Senatus Con-  
sultum de formula in ferendis judiciis  
observanda.*



*LIB. XIII.*

*& Verborum Libri XIII.*

- Librariorum ignorantia ac fraudes.*  
L. 13. N. 7.
- Lipsii (Justi) symbolum.* L. 13. N. 8.
- Ejusdem Satyra Menippæa, seu somnium & lusus ævi nostri in Criticos.*  
L. 13. N. 24.
- Literaria res modo omnium fecundissima, & ingeniis & artibus.* L. 14. N. 33.
- Literatura ad summum apicem evecta habet, quod timeat casum.* L. 13. N. 33.

M.

- Manuscripta, quorum catalogum ediderunt Possevinus, Labbeus, Lambecius, &c.*  
L. 13. N. 11.
- Matheos disciplina ultimis his temporibus in meliorem formam redacta.*  
L. 13. N. 13.
- Methodus discendi docendique in scholis usitata non est contemnenda vel evertenda.*  
L. 13. N. 33.
- Methodus geometrica tradendi Philosophiam proscripta arte syllogistica reprobatur.*  
L. 13. N. 33.
- Monachi ante inventam typographiam libris describendis plurimum intenti erant.*  
L. 13. N. 11.

*Index Rerum*

*Monumenta ad historiam scientiarum &  
bonarum artium, seu Trevoltiensia.*

L. 13. N. 13.

**N.**

*Numariæ rei cultura per Criticos.*

L. 13. N. 13.

**O.**

*Occasio instauratæ Criticæ post captam Con-  
stantinopolin, & inventam typographiam.*

L. 13. N. 8.

*Oeconomia artis Criticæ.*

L. 10. N. 11.

*Opus Regium ad usum Delphini 50. volu-  
minum sub auspiciis Ludovici XIV.*

*Gal. Reg. ejus descriptio.*

L. 13. N. 12.

*Recensentur Viri Clarissimi, qui ad il-  
lud concinnandum adbibiti fuerunt.*

L. 13. N. 12.

*Oratio Ciceronis, Sallustii, Ovidii contra  
Correctores.*

L. 10. N. 34.

*Oratio M. Varri pro Correctoribus. Com-  
positio litis.*

L. 13. N. 34.

**P.**

*Patrum Opera collecta & correctæ.*

L. 13. N. 18.

*& Verborum Libri XIII.*

- Patrum Bibliotheca magna, & maxima.*  
L. 13. N. 18.
- Philippus I. Galliarum Rex instaurandis  
artibus & scientiis initium dedit.*  
L. 13. N. 12.
- Philosophia vetus simplex & recta fuit.*  
L. 13. N. 13.
- Multa dogmata philosophica, quæ nunc  
nova videntur, jam tradita fuerunt a  
veteribus Sophis.*  
L. 13. N. 13.
- Philosophia corrupta fuit nimis subtilita-  
tibus & altercationibus: sed restituta  
per Criticos.*  
L. 13. N. 13.
- Philosophia quamplurimis inventis, experi-  
mentis, & machinis locupletata his ul-  
timis seculis.*  
L. 13. N. 13.
- Philologia emendata per Criticam.*  
L. 13. N. 13.
- Poesis ad ostentationem.*  
L. 13. N. 33.
- Pseudocritica notatur, qua omnia in du-  
bium vocantur.*  
L. 13. N. 33.

*Q.*

- Quæstio, num Recentiores Critici præfe-  
rendi sint Veteribus.*  
L. 13. N. 4.
- Quærelæ Triboniani & Plinii contra Cor-  
rectores.*  
L. 13. N. 34.



*Index Rerum*

**R.**

- Regularum Criticarum necessitas.*  
L. 13. N. 19.
- Regulæ de Auctorum testimonio : de conjectura : de Traditione ac consuetudine.*  
L. 13. N. 20.
- Regulæ de MSSis & antiquitate Codicum : de Grammatica, Poesi, de Rbetorica.*  
L. 13. N. 21.
- Regulæ de re Numaria, de Diplomatica, de Pbilosophia, de Historia.*  
L. 13. N. 22.
- Regulæ de Tbeologia, de legendis & intelligendis Patribus, de Conciliis.*  
L. 13. N. 23.
- Regulæ de Aëtis Martyrum, aliorumque Sanctorum : de Traditionibus, de S. Scriptura legenda & intelligenda*  
L. 13. N. 24.
- Appendix ad Regulas Criticas, seu de scribendis libris, & ferenda de illis sententia.*  
L. 13. N. 24.
- Regularum Criticarum usus : difficultas in his statuendis.*  
L. 13. N. 25.

*Et Verborum Libri XIII.*

**S.**

- De Sallo ( Dionysius ) conditor ephemeridum sapientum.* L. 13. N. 13.  
*Scolorum ævi hujus mores perstringuntur.* L. 13. N. 33.  
*Scriptor nullus a crisi immunis est.* L. 13. N. 5.  
*Scriptores quinam censura digni sint.* L. 13. N. 26.  
*L. Sæclani Satyræ de sciolis hujus ætatis.* L. 13. N. 33.  
*Senatus Consultum de formula in ferendis judiciis observanda.* L. 13. N. 34.  
*Senecæ dictum de sciolis.* L. 13. N. 26.

**T.**

- Theologiæ tres epochæ.* L. 13. N. 15.  
*Theologia Patrum, Scholiastum, & Scholiasticorum.* L. 13. N. 15.  
*Theologia per Criticam emendata.* L. 13. N. 15.

**V.**

- Vana jactantia, literas disci posse absque præceptoribus, absque scholis.* L. 13. N. 33.

*Va.*

*Index Rer. & Verb. Lib. XIII.*

*Vana jactantia de peritia in ve Numavia  
& Antiquaria.* L. 13. N. 33.

*Vespasiani Imperatoris Symbolum.*  
L. 13. N. 26.

*Vicissitudines artium liberalium in Gra-  
cia, in Romana Republica, & in reli-  
qua Europa.* L. 13. N. 12.

*Vulgatae correctio jussu Sixti V. & Cle-  
mentis VIII, suscepta.* L. 13. N. 11.



*LIBER XIV.*  
DE  
RE ANTIQUARIA.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XIV.

LIBER XIV.  
DE  
RE ANTIQVARI.



# EPITOME

## LIBRI XIV.

DE

ANTIQUITATIBUS  
HEBRÆORUM, GRÆCO-  
RUM, ROMANORUM, ET  
GERMANORUM.

### PRÆFATIO.

*Rei Antiquariæ studium commendatur: variae viæ, quas in hoc studio ineunt scriptores. Ordo qui servatur hoc in libro, & divisio materiæ in certa Capita. Scriptores Antiquitatum Hebraicarum, Græcarum, Romanarum & Germanicarum.*

*Epitome Libri XIV.*

*CAPUT I.*

*ANTIQUITATES HE-  
BRÆORUM.*

I.

*T*riplex populi a Deo electi nomen-  
clatura: prima Hebræorum, alte-  
ra Israelitarum, tertia Judæorum:  
origo hujus triplicis nomenclaturæ.

§. I.

*Regimen Hebræorum.*

II.

*Oeconomicum.*

*Ante Mosen viguit inter Hebræos  
Theocratia, seu regimen Dei: Pa-  
triarchæ tamen œconomicum regimen  
exercuere: iidem supremam potestatem  
habuerunt tum in liberos, tum in ser-  
vos. Duplex servorum classis: capto-  
rum in bello, & tribulium: dispar  
utrorumque fors.*

III.

## Epitome Libri XIV.

### III.

#### *Aristocraticum.*

Fundamenta hujus regiminis posuit Moses in deserto: Josue stabilivit in terra Chanaan. Septuaginta virorum Senatus Mosi adtributus: ejus monita extrema de regimine Aristocratico servando: Josue rerum potitus strenue illud promovet. Hebræorum populus bisariam divisus: Respublica vero tripartita. De Judicibus sedentibus ad portam civitatis: forma judicii.

### IV.

#### *Monarchicum.*

Hebræi a Deo Regem petunt & obtinent. Ritus creandi Reges: eorum ampla potestas, etiam in vitam & bona subditorum. Non obstante populi libertate hic tributum pendere Regibus debuit. Salomonis, ejusque Aulae splendor & opulentia. Regimen Hebræorum cum regnis Juda & Israel



## *Epitome Libri XIV.*

*extinctum, postquam stetit annis circiter 1068. Prodigia excidium Hierosolymæ antecedentia.*

### *V.*

#### *Leges Hebræorum & pœna.*

*Leges apud Hebræos triplicis generis: Morales, Ceremoniales & Judiciales. Prodigia in monte Sinai, quando Decalogus Mosis datus est. Breve compendium legum triplicis generis. Regibus præcipitur, ut assiduo volvant librum legum: Pontifex singulis annis in festo Tabernaculorum leges has publice recitare debebat coram omni populo: Phariseorum superstitio in legum observantia.*

### *VI.*

*Pœnæ statutz in illos, qui leges violabant: Multa, Talio, Flagellatio, Venditio, Exilium, Combustio, Crucifixio, Lapidatio, explicantur singulæ. Urbes refugii.*

*Epitome Libri XIV.*

§. II.

*Magistratus Hebræo-  
rum.*

VII.

*Judices.*

*Magistratus supremus apud Hebræos fuerunt Judices : modus administrandi judicia exemplo Samuelis & Deborahæ : potestas convocandi populum & Senatum : belli gerendi munus. Judices ut plurimum a Deo designati : aliquando a populo.*

VIII.

*Principes.*

*Triples horum classis. Aliqui fuerunt Principes Tribuum, aliqui Principes familiarum, alii Principes civitatum : singulorum munia & potestas.*

*Concio & Senatus.*

Quid apud Hebræos Concio fuerit, quid Senatus. Modus & ratio convocandi Concionem tubarum clangore; causæ convocandi, vel ad audienda mandata, vel ad orandum, vel ad creandum magistratum, atque ad bellum gerendum. Senatum universi populi constituerunt Viri LXX. Senatorum dignitas & officium.

*Judicium & Concilium.*

Discrimen inter Judicium & Concilium. Describitur forma & ordo judicii: e reliquis judiciis eminuit Hierosolymitanum. Concilium supremum Sanhedrin. ejus origo & munus; locus Concilii hujus, & tempus quo celebrari solebat, ac ordo, qui in reis condemnandis vel absolvendis observabatur. Illu-

*Epitome Libri XIV.*

*ſtre exemplum hujus confeffus e Jofeph.  
Tres tribunalium ordines.*

*§. III.*

*Religio Hebræorum.*

*XI.*

*Sacrificia.*

*Nulla religio ſine ſacris & aris.  
Primis mundi temporibus, & ante Mo-  
ſen nullæ certæ erant victimæ, aut ri-  
tus ſacrificiorum. Frequenter ignis de  
cælo lapſus hoſtias conſumpſit. Huma-  
narum victimarum exempla in SS. Li-  
teris,*

*XII.*

*Varia Sacrificiorum genera.*

*Primum genus holocauſtum: hujus offe-  
rendi ritus: altare holocauſti: ignis holo-  
caſti perpetuus. Alterum genus libamen:  
ejus pars Sacerdoti relicta. Tertium ge-  
nus Pacificum, unum voti, alterum lau-  
dis. Quartum genus ſacrificium pro*

## Epitome Libri XIV.

peccatis ex ignorantia commissis. Quintum genus sacrificium pro delictis a sciente perpetratis.

### XIII.

Oblationes, Primitiæ, Decimæ, aliæque.

Oblationum varia genera: frumenti, similæ, incensi, &c. Thymiama, ejusque compositio. Primitiæ tum ex hominibus, tum ex animalibus, tum ex frugibus persolvendæ: descriptio solemnitatis in oblationibus institutæ. Decimas solvendi consuetudo jam ante legem Mosaicam in usu erat: varia decimarum genera. Pecunia sacra: Gazophilacium, Corbona, Ærarium.

### XIV.

Summus Pontifex & Sacerdotes.

Personæ sacræ triplicis generis. Summi Sacerdotis vestitus: femoralia, tunica linea, tunica talaris cum tintinna-

## *Epitome Libri XIV.*

*nabulis, balthus, Ephod, Rationale cum duodecim lapidibus, tiara. De Urim & Thummim. Summi Sacerdotis potestas, & dotes corporis requisitæ.*

## *XV.*

*Reliquorum Sacerdotum vestitus; illorum officia tum quæ ad templi ministeria, tum quæ ad populi obsequia pertinebant. Primi Sacerdotes quatuor filii Aaronis, e quibus reliqui omnes descenderunt. A Davide Rege in viginti quatuor classes divisi fuerunt. Quinam Principes Sacerdotum.*

## *XVI.*

*Levitæ, Cantores, &c.*

*Quinam proprie Levitæ dicti fuerint: ritus quo initiabantur eorum ministeria sacra. Duplex Levitarum ordo, unus a Mose, alter a Davide institutus. Cantores diversæ sortis: horum musicus Conventus in omni musicorum genere. Janitorum officium. Quinam Nathinæi, & eorum munus.*

## *XVII.*

*Epitome Libri XIV.*

XVII.

*Nazaræi, Prophetæ, &  
Scribæ.*

*Nazaræorum conditio reliquis perfectior: a quibus abstinere debuerint: ritus Nazaræos voto solvendi. Prophetæ seu Videntes quinam fuerint: eorum vestitus, paupertas, & vitæ ratio. Duplex prophetandi modus per oraculum, vel per somnia, & imagines. Quinam fuerint Scribæ: eorum munus, quod singulis Sabbatis in Synagoga, & festis solemnioribus in templo obibant.*

§. IV.

*Res Militaris Hebræorum.*

XVIII.

*Militiæ Hebræicæ præstantia.*

*Bella Hebræorum & multitudine ac virtute militum, & ducum fortitudi-*  
di-

## Epitome Libri XIV.

dine, hostium devictorum copia, & victoriarum magnitudine præ cæteris incluta fuerunt. Duo bellorum genera, unum deo jubente, alterum arbitrio Regum vel populi voluntate susceptum. Bellorum ab Hebræis gestorum catalogus. Clades Hebræorum, quas a Romanis passi sunt.

## XIX.

### Milites & Duces.

Delectus militum : quomodo convocati fuerint. Exercitus copiosissimi sub Regibus. Dux supremus Hebræorum fuit Dominus Exercituum. Vicarii Duces eligebantur vel a Deo per ostentum, vel a populo. Regis munus proprium fuit egredi ad pugnas. De Principibus militiæ, Chiliarchis, Centurionibus, &c. De Præsidibus templi.

## XX.

### Arma & Signa militaria.

Primis statim temporibus armorum usus fuit apud Hebræos. Sub Regibus  
bus



*Epitome Libri XIV.*

*bus arma fuerunt : arcus & fundæ ,  
gladii , hastæ , spicula & lanceæ , scu-  
ta , clypei , galea & lorica. Arma-  
mentaria a Regibus exstrui cepta :  
signa militaria singularum tribuum.*

*XXI.*

*Castra & Disciplina mi-  
litaris.*

*Castrorum ordo mirabilis a Deo  
præscriptus : ejus descriptio : Tri-  
buum divisio : ingens numerus bellato-  
rum : Tentoria e pellibus : itineris mi-  
litaris ordo : signum tubis datum.*

*XXII.*

*Disciplina militaris, seu leges exer-  
citui præscriptæ recensentur : religionis  
observantia etiam in castris & pugnis.*

*XXIII.*

*Prelia, Obsidiones, & Vi-  
ctoriæ.*

*Bellum a Feciali indici debuit ho-  
stibus, præterquam illis, qui simul Dei  
ho-*

## Epitome Libri XIV.

hostes erant. *Exempla hujus rei. Ordo pugnae: cunei & cornua. Signum clangore tubarum dabatur a Sacerdotibus, a Ducibus cornu. Præda post victoriam æqua portione in omnes divisa.*

### XXIV.

*Obsidionum forma antiqua tempore Mosi: recentior tempore Regum. Variæ machinae aries, testudo e clipeis, vineæ, turres, balistæ, &c. Machabæi strenue defendunt Hierosolimam adversus Antiochum.*

### XXV.

*Hebræis triumphorum modica cura: Saul post victos Amalecitas arcum triumphalem erexit, sed propterea reprehensus. Triumphus alicujus speciem præbuit reditus Davidis a devicto Goliath. Aram post victorias Deo Domino exercituum extruxit Moses: Cantica in Dei laudem composita: spolia Tabernaculo vel Templo illata, & arma ibidem suspensa.*

§. V.

*Epitome Libri XIV.*

§. V.

*Festa Hebræorum.*

XXVI.

*Festa Paschatis, Pentecostes,  
Tabernaculorum.*

*Pascha quo tempore celebratum ab Hebræis: ante Mosén initium anni ducebant ab Æquinotio autumnali: post exitum ex Ægypto autem ab Æquinotio verno: describuntur ceremoniæ Paschales. Pentecostes festum, ejusque celebrandi causæ ac ritus. Festum Tabernaculorum quale fuerit.*

XXVII.

*Sabbatum, Annus Sabbaticus,  
Et Jubilæus.*

*Sabbati festum omnium primum Et antiquissimum: ejus observandi præceptum: qui hoc violabat, morte pledebatur. Iter Sabbati quale fuerit.*  
Quid

*Epitome Libri XIV.*

*Quid annus Sabbaticus : immunitates hujus anni. Quid annus Jubilæus : hujus ritus, &c.*

*XXVIII.*

*Festum Tubarum, Expiationum, & Encæniorum, &c.*

*Festum Tubarum ob quas causas sit institutum. Festum Expiationum, ejusque celebrandi ritus. De hirco & capro emissario in desertum dimisso. Encænia templi Salomonici. Alii dies festi cum Neomeniis.*

*§. VI.*

*Artes & Studia Hebræorum.*

*XXIX.*

*Agricultura, & vita Pastoritia.*

*Hebræi omnes agriculturæ & vitæ pastoritæ dediti fuerunt jam a mundi*

*Epitome Libri XIV.*

*exordio : etiam Duces ac Reges. Com-  
mendatur utriusque studium, quod Græ-  
ci quoque ac Romani florente republi-  
ca coluerunt.*

*XXX.*

*Lingua patria Studium, Scul-  
ptura, Pictura.*

*Hebræi peregrinarum linguarum &  
literarum studio nullo tenebantur : suam  
linguam magni fecerunt : hujus com-  
mendatio. Artes communi usui neces-  
sarias a primis temporibus coluerunt.  
Egregii artifices & Opifices tempore  
Regum Davidis & Salomonis : artis  
tamen pictoriæ vix ullum apud He-  
bræos vestigium adparet.*

*XXXI.*

*Poesis, & Musica.*

*Poesin hebraicam quidam Veteres  
scriptores magni nominis in Cantico  
Mosis, in libro Job, in Psalterio, &  
Prophetis reperiri docent : Recentiores  
communius negant : utraque auctoritas*

## Epitome Libri XIV.

expenditur, & adstruitur poesis quædam minus perfecta. Musicam multum amarunt & coluerunt Hebræi, maxime Davit Rex: describuntur instrumenta Musica, & symphonice mira virtus.

### XXXII.

#### Theologiæ Positivæ Studium.

Præcipuum studium in S. Scriptura posuerunt. ex hac hauriebant historiam temporum, doctrinam moralem, & religionis mysteria. Traditiones patrum studiose conservarunt: multum tribuebant parabolis, proverbiiis, & similitudinibus. Sacrorum librorum grandes ac mirabiles characteres expouuntur.

### §. VII.

#### Mores Hebræorum.

### XXXIII.

#### Nomina, Tituli, ac Nobilitas.

In nominibus Hebræorum plerumque vel aliquid mysterii, vel præsagii

## *Epitome Libri XIV.*

latuit : sæpe Patris, quin & Avi & Proavi nomen adjiciebatur. Nobilitatis conservandæ magna apud Hebræos cura.

### XXXIV.

#### *Potentia & Divitiæ.*

Patriarchæ erant instar Regum : Magnæ illorum divitiæ, quas in gregibus & servis collocatas habebant : nec defuit aurum & argentum. Quomodo possessiones & facultates in familiis suis conservarint.

### XXXV.

#### *Res Vestiaria.*

Vestitus Hebræorum : toga & palium virorum : velamen mulierum. materia vestium, & forma simplex, ac eadem plerumque. An tectō vel nudo capite, item pedibus inceserint ? comam & barbam aluerunt : lavandi corporis erant studiosissimi.

### XXXVI.

*Epitome Libri XIV.*

XXXVI.

*Vestitus Prophetarum : tunicæ inconsutiles. Mos scindendi vestes : mulierum in ornando corpore studium, & denique luxus.*

XXXVII.

*Habitatio, Mensa.*

*Patriarcharum domus erant tentoria : occupata terra promissa in ædibus habitarunt : Tecta, cœnacula, & reliqua supellex domestica quædamque splendida.*

XXXVIII.

*Frugalitas in cibo & potu : varia ciborum genera. Quinam cibi vetiti : potus Hebræorum : ritus in discumbendo : Convivia.*

XXXIX.

*Nuptiæ, Divortium.*

*Sponsæ quasi pretio emptæ fuerunt. Ornatus sponsi & sponsæ : festivitas & for-*



*Epitome Libri XIV.*

*formulæ benedicendi nuptiis. Sterilitas probro fuit : divortium permissum Hebræis : sublatum postea a Christo in lege gratiæ.*

§. VIII.

*Funera & Sepultura Hebræorum.*

XL.

*Labes in funere contracta : quomodo hæc fuerit expiata. Apparatus cadaverum. Luctus propinquorum qualis fuerit : hunc instituere non licuit Sacerdotibus. Describitur pompa funebris : Exequiæ. Oratio vel carmen funebre. Cadavera non cremarunt Hebræi, sed terræ mandarunt.*

XLI.

*Sepulchra : eorum locus, forma, & ornatus : sepultura carere species anathematis fuit.*

*CAPUT II.*

*ANTIQUITATES  
GRÆCORUM.*

*XLII.*

*G*ræcia aliarum gentium famam superavit & vastitate dominationis, & cultu artium & scientiarum. Præcipuæ duæ Urbes & Republicæ Græcorum : *Athenæ*, & *Lacedæmon seu Sparta*. *Descriptio utriusque ac encomium. Hecatombe quid?*

*§. I.*

*Regimen Atheniensium.*

*XLIII.*

*Theseus rempublicam Atheniensium in tres Ordines redegit : primum Patriciis, alterum Agricolis, tertium Opificibus adsignavit. Idem Ostracismi legem induxit : primus numum cudit, bove signatum.*

**XLIV.**

*Archontes introducti: factionibus exortis Soloni regimen commissum fuit: hic civitatem omnem in tres classes distribuit aestimatione census majoris. Pericles rempublicam stabilivit & exornavit publicis & magnificis operibus exstructis.*

**XLV.**

*Regimen Lacedæmoniorum.*

*Lycurgus reipublicæ huic formandæ manum admovit, priscis vivendi moribus abrogatis: multitudinem divisit in cives natos & adscitios: nulli civium licuit opificio vacare: servorum ingens multitudo & dura conditio. Modus servos liberos declarandi.*

**XLVI.**

*Duo Reges Lacedæmoniorum, quibus additum Consilium e viginti quatuor Senioribus: Ephori constituti. Modus in Comitibus & dandis suffragiis observari solitus.*

**XLVII.**

*Epitome Libri XIV.*

**XLVII.**

*Ad luxum & invidiam tollendam omne solum Laconicum æquis in singulos portionibus divisum : auri & argenti usus proscripsum : ferreus numus substitutus : civibus omnis peregrinatio in exteras regiones prohibita.*

**XLVIII.**

*Leges Atheniensium.*

*Cecropis primi conditoris Attici regni leges, quæ supersunt ; tres contra fœminas latæ : Draco scripsisse leges dictus est non atramento, sed sanguine : omnibus criminibus minimis & maximis æqualem mortis pœnam statuit. Solon abrogatis Draconis legibus alias tulit circa mores, circa pœnas, circa præmia : leges suas ligneis tabulis inscribi, & juramento ad centum usque annos firmari curavit : easdem expectierunt Romani ad suam Rempublicam stabiliendam.*

*Epitome Libri XIV.*

*XLIX.*

*Leges Lacedamoniorum.*

*Lycurgus duo fundamenta suæ rei-publicæ posuit, scilicet bonam prolium educationem, & vitam civium communem. Leges illius circa utrumque: insigne spectaculum, quod coram populo dedit ad confirmandas leges suas.*

*L.*

*Artificium, quo idem usus est ad leges suas perpetuo servandas. Collapsa reipublica Græci a Romanis leges petere coacti sunt.*

*§. II.*

*Magistratus Atheniensium & Lacedamoniorum.*

*LI.*

*Areopagita, Judices, Prætoriani, &c.*

*Tres classes Magistratum Atheniensium. Areopagus ad quid fuerit in-*

*Epitome Libri XIV.*

*institutus. Areopagitarum character :  
Areopagi origo : iudicii locus, iudicum  
numerus : alius Magistratus e quingen-  
tis Viris. Pritanorum Magistratus.*

LII.

*Archontes, Arbitri, Epi-  
scopi, &c.*

*Archontes novem : eorum princeps  
& caput, ab his Athenienses numera-  
bant annos. Alii inferiores Magi-  
stratus.*

LIII.

*Reges Lacedæmoniorum, Ephori,  
Harmostæ, &c.*

*Regum jura & prærogativæ. Se-  
natus viginti octo Seniorum. Ephori  
quinque : eorum amplissima potestas :  
etiam in Reges. Ab his Lacedæmonii  
annos notarunt. Harmostæ & Pole-  
marchi officium. Syssitia seu Phiditia  
fuerunt conventus plurium ad commu-  
nem*

*Epitome Libri XIV.*

*nem mensam : horum descriptio. Alii  
Magistratus minores.*

§. III.

*Religio Græcorum.*

LIV.

*Templa Dianæ, Apollinis,  
Cerëris, &c.*

*Templorum origo a sepulchris :  
structura eorum varia pro varietate  
Deorum Dearumve : forma illorum ut  
plurimum quadrata : supellex. Tem-  
plum Dianæ Ephesinæ describitur, cu-  
jus mentio quoque fit in Actis Apo-  
stolorum.*

LV.

*Templum Apollinis Delphici : illius  
origo. de Tripode Delphico celebra-  
tissimo per totam Asiam : Pythiæ ora-  
cula ex eo fusa. tempore Augusti si-  
luit hoc oraculum, & cur ? Templum  
Ce-*

*Epitome Libri XIV.*

*Cereris in Eleusia : sacra Eleusina describuntur.*

LVI.

*Athenæ fuerunt quasi domicilium omnium Deorum. de Ara IGNOTO DEO sacra, cujus occasione D. Paulus Atheniensibus Deum verum annuntiavit. D. Hieronymi observatio circa aram Ignoti Dei. Instrumenta & ornamenta Templorum. Colossus Rhodius : ejus descriptio.*

LVII.

*Sacerdotes, Victimæ, & Sacrificia.*

*Sacerdos supremus apud Athenienses dictus Daduchus. Delphis Pontifices quinque : methodus præparandi Sacerdotes & sacrificia : eorum vestitus. Augures qua ratione auguria ceperint. Choragi.*

LVIII.

*Priscis temporibus sacrificia erant sine sanguine : offerebantur solum farina &*



*Epitome Libri XIV.*

*Et fruges. Primus Athenis bovem immolavit Diomus. Victimarum adparatus.*

LIX.

*Hecatombe genus sacrificiorum. Epulæ sacræ. Memorabile sacrificium apud Plataenses. quomodo parentatum militibus in acie occisis.*

§. IV.

*Res Militaris Græcorum.*

LX.

*Disciplina.*

*Milites apud Spartanos non tam fiebant, quam nascebantur. Denunciatio belli: adparatus: exercitus: quid manipulus, quid turma, quid phalanx: hujus descriptio: quatuor ordines exercitus Spartani.*

LXI.

*Duces, Et Arma.*

*E duobus Regibus unus domi rempublicam, alter foris bellum administrabat.*

*Epitome Libri XIV.*

*bat. Comitatus Regis ad bellum pro-  
gredientis. arma Græcorum: quid ce-  
tra & pelta. Græcorum Duces splen-  
dide vestiti in acie comparuerunt.*

*LXII.*

*Castra & Dispositio aciei.*

*Castra a Lycurgo in orbem po-  
sita: eorum locus frequenter mutatus.  
Sacrificii ritus ante prælium. Aciei  
dispositio. Græci inter tiliarum mo-  
dulos pugnam exorsi sunt.*

*LXIII.*

*Obsidiones, prælia, victoria,  
& præmia.*

*Obsidendi forma describitur: præ-  
lii facies exhibetur. Maxima vis in-  
cubuit cornui, ubi Rex aut Polemar-  
chus pugnabat.*

*LXIV.*

*Finjto prælio prima sepulturæ oc-  
cisorum cura fuit. Trophæa victoriæ  
tum*

*Epitome Libri XIV.*

*tum terrestris, tum navalis. Modestia Victorum apud Græcos: vivis non nisi baltheus obtigit, sed mortuis statuæ erigebantur, & Divini titulus adpositus.*

§. V.

*Ludi & Festa.*

LXV.

*Isthmia & Pythia.*

*Unde dicti sint ludi: quibus ritibus celebrati. Quatuor præcipui Græciæ ludi. Isthmicorum origo: instaurati a Theseo: a Romanis quoque civitate donati. Pythicorum origo: in his initio solum Musici certabant citharis & tibiis: postmodum in equestres transierunt.*

LXVI.

*Nemea & Olympia.*

*Ludorum Nemeicorum origo. Olympicorum origo: quid sit Olympias: Olym-*

*Epitome Libri XIV.*

*Olympiades numerandi origo : ingens honor eorum, qui in hoc ludo victores evaserunt. Olympiades mutati ab Augusto Cæsare in Indictiones.*

LXVII.

*Bacchanalia & Saturnalia.*

*Bacchanaliorum festum ab Atheniensibus institutum : quomodo in omnem terram fuerit propagatum : alio nomine dicebantur Orgia, & Trieterica. Bacchi simulacrum : ritus celebrandi bacchanalia. Saturnalia celebrabantur conviviiis, feriis, & munusculis ultro citroque missis.*

LXVIII.

*Athletæ in Ludis.*

*Athletarum varia genera : dotes in Athletis requisitæ : eorum examen. Describuntur pugnae Athletarum, & victorum præmia.*

§. VI.

*Epitome Libri XIV.*

§. VI.

*Artes & Scientiæ  
Græcorum.*

LXIX.

*Oratores, Poetæ, Pictores, Scul-  
ptores, Historici.*

*Encomium Græciæ ob artium libe-  
ralium & scientiarum studium. Ju-  
ventus instituta in optimo sermonis ge-  
nere. Eloquentiæ Magistri Isocrates  
& Demosthenes. Auctores præcipui  
in omni carminum genere. Præclari  
Pictores & Sculptores cum suis arte-  
factis. Historiæ profanæ Conditores.*

LXX.

*Sophi, & Philosophi.*

*Septem Græciæ sapientes palam  
facti per tripodem aureum. Philoso-  
phi diversi generis: Physici, Ethici,  
Dialectici: item Socratici, Platonici,  
Pe-*

*Epitome Libri XIV.*

*Peripatetici, &c. Philosophis Græciæ plurima scientiarum monumenta & opera debentur.*

§. VII.

*Mores Græcorum.*

LXXI.

*Educatio & Vestitus.*

*Spartanorum tres chori ad virtutis studium se excitantes. Athenienses juventutem suam assuefecerunt literis & arti natandi: Lacedæmonii vero duris patienter ferendis. Palæstra Gymnica. Laconum sermo: veneratio erga senes. Vestitus Græcorum simplex: mollior postea factus.*

LXXII.

*Convivia, eorundemque ritus.*

*Triples classis Conviviorum. Communes epulæ, ad quas quivis symbolam suam conferre debuit. Convivia agriculturalium & servorum. Convivarum*

*Epitome Libri XIV.*

numerus. Accubuerunt ad mensam. Epulis Dii credebantur interesse. Dona convivis abituris data. Quid sit Græcari.

LXXIII.

*Nuptiæ, earumque Ceremoniæ.*

Non licuit promiscue nubere : tempus nuptiis destinatum, scilicet nundinarum & lucæ plenæ : matrimonia fractis tabulis solvebantur : a secundis nuptiis ut plurimum abstinuerunt.

LXXIV.

Ceremoniæ nuptiarum mirabiles recensentur. Vestitus sponsæ : munera nuptialia : introductio in domum sponsi : epithalamium.

§. VIII.

*Funebricia.*

LXXV.

*Sepultura.*

Sepulturæ jus sanctum apud omnes gentes. Quid sit funus facere, iusta  
fa-

*Epitome Libri XIV.*

*facere, exequi funus, locare funus. Quinam a sepultura exclusi. Initio Græci cadavera cremarunt; postea humarunt.*

LXXVI.

*Ritus Funebres.*

*Græci oculos clausurunt defuncti: vestibus induerunt cadavera: pro viatico addiderunt polentam, obolum, & coronam. Cadaver exposuerunt in domus vestibulo facie ac pedibus ad limen ædium conversis, & cur? mortuum ter nomine suo inclamarunt: funeris pompa describitur. Oratio funebris: tumulus, exequiæ, & luctus.*

LXXVII.

*Mos sepeliendi occisos in bello. Regum mortuorum funebris solemnitas, & sepulchra sumtuosa. Mausoleum ab Artemisia marito Regi structum.*

CA-



*Epitome Libri XIV.*

*CAPUT III.*

*ANTIQUITATES  
ROMANORUM.*

*LXXVIII.*

*Romanæ gentis origo e Græcia: Romuli & Remi natales. Roma quadrata. Incrementum Urbis sub Regibus & Imperatoribus. Romani Romam ut Deam coluerunt structis in ejus honorem templis.*

*§. I.*

*Regimen Romanorum.*

*LXXIX.*

*Divisio Reipublicæ in Tribus  
& Curias.*

*Prima divisio Romuli in tres Tribus: altera in triginta Curias. Romuli artes in amplificanda civitate. Tertia divisio Servii Tulli in quatuor Tri-*

*Epitome Libri XIV.*

*Tribus: urbanis tribubus additæ rusticæ.*

**LXXX.**

*Divisio in Ordines.*

*Triplex ordo: Senatorius seu Patricius: Equestris, & Plebejus. Quinam Patres & Patricii: Patres Conscripti. Quid ceræ Majorum? Quinam Equites Romani. Quinam e plebe ad tribus urbanas, qui ad rusticas pertinebant. Patrum potentia immiuta: Duce leges Valerii Consulis in favorem plebis.*

**LXXXI.**

*Servorum & mancipiorum dispar conditio apud Romanos. Ritus, quo capti in bello sub jugum missi sunt. Quid vendere mancipia sub corona? variae classes servorum. Manumissio per censum, & per vindictam: Formula manumissionis.*

LXXXII.

*Sex civium classes secundum facultates cujusque. Quare Servius Tullus hanc divisionem induxerit? Quid cives perfecti, quid honorarii? Civis Romani grande nomen: huic licuit provocare ad populum contra cujuscunque Magistratus fatalem sententiam consuetis verbis: Civis Romanus sum.*

LXXXIII.

*Quid Comitia: alia Centuriata, alia Tributa. Quid Comitia Auspicata. Forma, ordo, locus Comitiorum. Antiquæ formulæ in accusando, damnando, &c. Quid prærogativa, quid Diremptio. Candidati pro officiis.*

LXXXIV.

*Judicia diversi generis. Privati judicii causæ, modus, & locus. Quid fuerit planus locus, seu de plano cognoscere. Publici judicii forma. In-*  
*qui-*

*Epitome Libri XIV.*

*quisitores seu Quæsitores parricidii. Judicium popolare, & crimina ad hoc delata.*

**LXXXV.**

*Leges & Pœna.*

*Prima Epocha legum Romanarum: Leges Regiæ. Secunda: Consulares, & Tribunitiæ. Tertia: duodecim Tabularum. Quarta: leges quædam aliæ, ante & post XII. Tabulas latæ. Quinta: Edicta Prætorum, Senatus, Consulta, Plebisscita, Placita & Constitutiones Principum.*

**LXXXVI.**

*Conditiones, quibus opus erat, ut leges rite ferrentur. Quid sit Trinundinum, quid legem Rogare, Abrogare, Derogare, Obrogare, Interrogare. Qualia legibus nomina fuerint imposita. Locus & tempus ferendi le-*

*ges.*

*Epitome Libri XIV.*

*ges. Quid dies fasti, nefasti, intercisi, & atrii.*

*LXXXVII.*

*Diversa pœnarum genera apud Romanos usitata: Pœna multæ, vinculo- rum, verberum, talionis, ignominicæ, exilii, servitutis, mortis. Hæc sumebatur vel suspendio ex arbore infelici, vel dejectu e rupe Tarpeia, vel furca & cruce, vel securi, vel laqueo, vel culleo. Quid sit homo sacer?*

*LXXXVIII.*

*Varia Reipublicæ Romanæ forma.*

*Octo mutationes enumerantur. Roma intra septingentos annos omnes regiminis formas induit: Monarchiam, Tyrannidem, Aristocratiam, Oligarchiam, Democratiam, Anarchiam, usque dum ad Monarchiam rediit.*

*Epitome Libri XIV.*

§. II.

*Magistratus Romanorum.*

LXXXIX.

*Senatus, Consules, Censores,  
Prætores.*

*Magistratus primis temporibus non nisi auspicato poterant obtineri. Modus creandi Magistratus: varietas illorum. Senatus Romani majestas. Quid VII. Viri: tres Senatorum classes: potestas & officium: tempus ac locus conventuum.*

XC.

*Consules creandi tempus, & modus: Potestas non minus veneranda quam formidanda. Apparatus, quocum in publico comparuerunt: vestes, fasces, lictores. Eorum nomine anni solebant numerari.*

XCI.

*Epitome Libri XIV.*

XCI.

*Censores unde dicti. Quid lustrum. Auctoritas Censorum: Nota censoria. Exemplum integerrimi Censoris. Prætorum origo: horum officium, & dignitatis insignia. Tres Prætorum classes.*

XCII.

*Tribuni, Ædiles, Quæstores.*

*Tribunorum origo ex seditione plebis. Unde Plebiscita. Insolenter usi sunt potestate sua. Ædilium munus, dignitas & prærogativa. Ædiles Cereales. Quæstorum origo antiquissima. Duplicis generis Quæstores, Urbani ac Provinciales: utrorumque officium.*

XCIII.

*Interrex, Dictator, Decemviri, Magistratus Provinciales.*

*Interrex quando constitutus fuerit. Dictator designatus in maxima reipublici-*

## Epitome Libri XIV.

blicæ necessitate. Amplissima hujus potestas in totam rempublicam. Munus hoc cum Cæsare expiravit, qui perpetuum Dictatorem se fecit. Decemviri quando creati: illorum munus. Quid municipia, quid præfecturæ, quid fora? Pro-Consules, Pro-Prætores, Pro-Quæstores.

### §. III.

## Religio Romanorum.

### XCIV.

### Numina.

Unde varietas Deorum orta. Tota Roma Diis Deorumque templis plena, Tres classes Deorum Dearumque: prima, Dii majorum gentium. Quid Dii Consentes. Altera: Dii minorum gentium, seu Indigites & Semidei. Tertia: virtutes sub nomine & figura Dearum. Alia triplex classis Deorum: Superum, Inferum, & Medioxumorum.

Quid



*Epitome Libri XIV.*

*Quid Dii Averrunci? Numina cædibus, collibus, vallibus, & hominum ætati præposita.*

*XCV.*

*Templa.*

*Templa primus in Italia Janus struxisse fertur. Eorum forma ex Vitruvio. Templa fuerunt asyla eo confugientium. Templorum reverentia, dedicatio, & multitudo. Describitur templum Jovis Capitolini: ejus divitiæ.*

*XCVI.*

*Describitur templum Jani. Ejus Sacellum totum ex cære constructum: illud aperiendi & claudendi mos a Numæ institutus. Pantheon: ejus origo & descriptio. Æris stupenda in eo copia. Templum Pacis a Vespasiano erectum: ejus descriptio. Causa, cur tot templa Romæ Veteris fuerint diruta.*

*XCVII.*

*Epitome Libri XIV.*

**XCVII.**

*Sacerdotes & Augures.*

*Romulus primum duos e singulis curiis elegit : Numa vero singulis Diis & aris singulos. Supremus omnium dicebatur Pontifex : ejus Sella Laureata. Quid Rex sacrificiorum. Quid Pater Patratus. Inter fœminas Sacerdotes præcipuæ fuerunt Vestales Virgines : harum institutum, functiones, dignitas, vestitus, & læsæ Virginitatis pœna.*

**XCVIII.**

*Sacerdotibus proximi Augures & Aruspices. Quinque modis auguria capiebant : e cœlestibus phœnomenis, ex avibus, e pullis gallinaceis, e quadrupedibus, ex insolitis casibus. Aruspices prædictiones suas ab inspectione vidimarum & extorum petebant.*

**XCIX.**

*In sacrificiis primum offerebantur solæ fruges terræ : tum etiam cæsa  
ani-*

## *Epitome Libri XIV.*

*animalia : Qualia diversis Diis fuerint immolata. Ritus sacrificandi late describitur. Varia sacrificia : Anniversaria, Pandicularia, Gentilitia, Solemnia, Stata, &c.*

### *§. IV.*

## *Res Militaris Romanorum.*

### *C.*

## *Exercitus, ejusque Duces.*

*Ætas militiæ opportuna quænam fuerit. Equitibus ante decimum, Peditibus ante vicesimum annum in militia exactum signis valedicere nefas erat. Peditum quatuor classes : Velites, Hastati, Principes, Triarii. Arma singulorum. Equitatus ordo triplex : Gravis armaturæ, Levis, & Equitum proprie Romanorum. Horum publica pompa, quam Transvectionem vocabant. Quid equus publicus? Aliæ militum turmæ : socii & auxilia.*

*Epitome Libri XIV.*

CI.

*Legionis Romanæ descriptio. Earum diversa nomina, & numerus. Quid cohors, quid manipulus, quid turma? Cohors prætoriana. De Ducibus militum: de Legatis & Imperatore exercitus. Augurum & Aruspicum auspicia ante obsidionem & prælium.*

CII.

*Varium genus armorum: eorundem descriptio. Signorum militarium quadruplex classis. Vexillum apud pedites, Labarum apud equites: Aquila apud totam legionem.*

CIII.

*Disciplina bellica admodum severa: ejus leges recensentur. Quid fuerit missio? stipendiorum ratio.*

CIV.

*Castra, Acies, Obsidio.*

*Castrorum Romanorum descriptio & forma e Lipsio. Aciei descriptio*

*Epitome Libri XIV.*

*e Livio. Tres ejusdem series: Hastatorum, Principum, & Triariorum. Quid cuneus, quid globus, forceps, turris, ferra? Obsidendi ratio duplex, prima per coronam, altera per machinas.*

CV.

*Pugna, Victoria, Triumphus.*

*Adhortatio ad pugnam: classicum ad certamen: ipsius pugnae facies e Livio. Præmia post victoriam militibus distributa. Quid corona civilis, obsidionalis, muralis, castrensis, navalis, rostrata.*

CVI.

*Allato Romam de victoria nuncio primum instituta est supplicatio publica: tum triumphus decretus. Hujus descriptio & magnificentia. Quid fuerit Ovatio. Romuli triumphus: alii singulares triumphus.*

*Epitome Libri XIV.*

§. V.

*Ludi & Festa.*

CVII.

*Festa Janualia, Terminalia,  
& Laralia.*

*Quid apud Romanos dies sacri, dies communes, dies intercisi? Festa fuere triplicia: Stativa, Conceptiva, Imperativa. Varia alia commemorantur. Quid Fasti Romani? Janualia Kalendis Januarii, & Terminalia mense Februario celebrata. Quid Laralia. De bullis puerorum.*

CVIII.

*Ludi Seculares, & Circenses.*

*Ludorum inventores Lydii. Magna ludorum apud Romanos frequentia. Seculares peste Romam vastante introducti: eorum descriptio cum ritibus.*

*Cir.*

*Epitome Libri XIV.*

*Circenses e Græcia Romam translata Romulo. Ab Augustis celebrati certis annis: horum descriptio, & sumtus immensi. Ludi gladiatorum crudeles. Missilia & sparsiones.*

§. VI.

*Artes & Scientiæ.*

CIX.

*Artes Politicæ.*

*Romuli politia adhuc rustica: liberalior fuit Servi Tulli, artibus politicis optime instructi. Ex his præcipua fuit coloniarum ducendarum cura. Per hanc potentia Romana in omnes orbis partes se propagavit. Illarum descriptio & numerus.*

CX.

*Artes liberales, & Opera publica.*

*Romani quidquid artis & splendoris erat apud exteras nationes, in*  
ur-

## *Epitome Libri XIV.*

*urbem suam invexere, præsertim Architectonicæ monumenta. Amplitudo & multitudo palatiorum. Domus aurea Neronis: Amphitheatra & Circi: Thermæ, viæ publicæ: Fontes & Aquæ ductus: Cloacæ: statuæ & columnæ.*

### **CXI.**

#### *Literæ ac Scientiæ.*

*Serius Romæ sedem fixerunt, & cur? Magistri literarum ac Præceptores civitate donati, & stipendiis aucti. Gymnasia, Academicæ, Athenæa, Pergulæ. Viri egregii in omni literarum genere. Mæcenas quis fuerit?*

### **§. VII.**

#### *Mores Romanorum.*

### **CXII.**

#### *Interior animi cultus.*

*Romanorum tessera: Fortia agere & pati. Eorundem virtutes: fide-*



*Epitome Libri XIV.*

*tas, frugalitas, magnitudo animi, iustitia: illustrantur exemplis. Eorundem vitia: avaritia, ambitio, & dominandi libido: demonstrantur exemplis. Quam concordēs fuerunt in subjugandis exteris nationibus, tam erant discordēs inter se, excitatis pluribus bellis civilibus. Post excisam Carthaginem disciplina iuventutis & morum probitas exulare cepit, quæ res rempublicam in præceps egit.*

*CXIII.*

*Exterior habitus corporis.*

*Quid sagum, quid toga, quid prætexta? Factum lepidum Papyrii prætextati. Quid toga latus clavus dicta? Toga Candidati: toga palmata. Quid trabea? Aliæ vestes Romanorum: Paludamentum, Chlamys, Apex, Vittæ, Stola, Cothurnus, Soccus, Lacerina, Petasus. Sericum unde? Soleæ, Annuli. Querelæ utriusque Senecæ de vestium luxu introducto.*

*CXIV.*

*Epitome Libri XIV.*

CXIV.

*Convivia, Nuptiæ.*

*Ter de die prisci Romani cibum capiebant, sed omnino frugaliter. Lex Fannia de moderandis epulis. Quid genius mensæ? Modimperator epularum. Tres missus Convivii: Antecœna, cœna, & mensa secunda. Quid promulsis? Convivia sacra seu Lectisternia. Convivia servorum, quibus Heri ministrabant. Convivia tempestiva & intempestiva.*

CXV.

*Nuptiarum tempus superstitiose observatum. Matrimonium Romani tribus modis contraxerunt: primum farrere: dein coemptione: tertio usu. Singula explicantur. Tribus etiam modis dissoluta fuerunt, scilicet: diffareatione: remancipatione: & usucapione. Honestiores matronæ a secundis nuptiis abstinnerunt.*

*Epitome Libri XIV.*

§. VIII.

*Funebria.*

CXVI.

*Varia Funerum genera.*

*Tria mortis genera distinxere Romani: Acerbum, immaturum, naturale. Quid funus Censorium: quid Colativum: Quid Indictivum: Quid larvatum: quid tacitum: quid triumphale? Singulorum adparatus. Modum & rationem funeris plerumque morituri præscripserunt hæredibus.*

CXVII.

*Sepulchra, Inscriptiones.*

*Sepulchri condendi curam Romani vel vivi adhuc susceperunt, vel reliquerunt hæredibus, uti patet ex Inscriptionibus. Locus sepulturæ fuit extra civitatem, & quare. Archite-  
tu-*

*Epitome Libri XIV.*

*Ætæra sepulchrorum. Quædam communia, quædam priva. Ornamenta sepulchrorum: Inscriptiones: harum materia.*

*\* CXVIII.*

*Cineres, Urnæ, Lucernæ.*

*Priscis temporibus Romani cadavera terræ mandarunt, postea cremarunt, Et cur? Quid rogus, pyra, bustum, ustrina, sepulchrum, monumentum? ceremoniæ in colligendis ossibus. Urna pro lacrymis. De lucernis perpetuo ardentibus: describuntur e Scardeonio: has vehementer impugnat Ferrarius.*

*CXIX.*

*Mausolea.*

*Unde dida? Mausoleum Augusti Cæsaris Romæ ad ripam Tiberis: aliud*

*Epitome Libri XIV.*

*aliud Mausoleum , moles Hadriani dictum. Sepulchrum mirabile Caji Cestii ad portam S. Paulli , quod etiamnum exstat : ejusdem Inscriptio.*

*CAPUT IV.*

*ANTIQUITATES  
GERMANORUM.*

*CXX.*

*Germanorum origo ad Ascenem Gomeri filium , nepotem Japhetis , & Noemi nepotem refertur. Ingens terrarum tractus olim Celtica dictus. Germani nunc Teutones , nunc Alemanni , nunc Germani vocabantur. Taciti auctoritas inter Scriptores rerum Germanicarum. Fines antiquæ Germanicæ : Germania prima & secunda. Germanicæ populi ex una in aliam regionem continuo migrarunt : hujus rei causæ.*

*CXXI.*

CXXI.

*Tres migrationum periodi. Finis illarum, quando Alemanni ingentem a Francis stragem passi sunt. Prælium ad Tolbiacum. Clodovæi Regis ad veram fidem conversio. Carolus M. varios Germanicæ populos debellat. Germania a Gallis avulsa proprium sibi Regem constituit.*

§. I.

*Regimen Germanorum.*

CXXII.

*Usque ad medium Ævum.*

*Germani primum pagos struxerunt, quos Haidas & Gouwas adpellarunt: ex his postmodum parvæ respUBLICÆ ortæ sunt. Aliqui Germanicæ populi regebantur vel ab uno Rege, cujus tamen imperium erat precarium: vel a pluribus Optimatibus: alii vero &*  
*plu*

*Epitome Libri XIV.*

*plures populare regimen præhabuerunt.  
Eorum Conventus & Comitia : Insi-  
gniores Republicæ.*

**CXXIII.**

*Regimen medii Ævi.*

*Quatuor Ordines Reipublicæ apud  
Germanos. Primus Nobilium, qui vo-  
cabantur Adalingi, seu Edlingi. Hic  
ordo compledebatur Reges, qui Domni  
& Dompni dicebantur : Comites seu  
Graviones : Nobiles immediatos. Se-  
cundus Ordo Liberorum seu Ingenuo-  
rum, qui dicebantur Fryherren, &  
semper Fry. Priscæ leges in favorem  
Nobilitatis : prærogativæ Ingenuorum.  
Tertius Ordo Libertinorum, quos Laz-  
zos nuncupabant. Quid Frilazzi ?  
Causæ & formulæ manumissionis.  
Quartus Ordo servorum : varietæ eo-  
rum classes, & varia conditio. Quid  
Lidones, & homines proprii. Onera  
servorum.*

**CXXIV.**

*Leges Veterum Germanorum.*

*Legum tres periodi: prima antiquissimis temporibus, ubi mores & consuetudines pro legibus erant: altera, ubi provincias & regna erigere, ac stabili sede uti ceperunt; tunc enim leges fuerunt conscriptae: tertia, ubi Francicum regnum latissime diffusum fuit, & leges cujusvis fere regionis & populi moribus accommodatae fuerunt. Cuius licebat eam, quae placuit legem accipere, non tamen semel acceptam dimittere pro arbitrio.*

*Leges singulares Alemannorum, Bojariorum, Saxonum, Longobardorum, Gothorum: Lex Salica: Leges Francorum. Hae etiam per Italiam receptae fuerunt. Paenae in illis statutae pro variis delictis. Goldasti sublesta fides in recensendis Legibus, &*  
Ca-



*Epitome Libri XIV.*

*Capitularibus ac Constitutionibus Regum  
& Imperatorum.*

§. II.

*Magistratus Germano-  
rum.*

CXXVI.

*Rex Germaniæ, Duces, Comites.*

*Electio Regis veteri ævo: ejus potestas limitata: dignitas tamen maxima. Aula Regia: Vasalli Regii. Duces, eorumque potestas. Comites seu urbium Præfecti. Comites Palatini: quod eorum officium.*

CXXVII.

*Landgravii, Burggravii,*

*Describitur singulorum dignitas & munus. Comitum & Magistratum quatuor tituli honorarii: quidam appellabantur Illustres & Patricii: alii Clarissimi & Spectabiles: alii Perfe-*  
*ctissi-*

*Epitome Libri XIV.*

*Ætissimi : aliqui demum Egregii. Singulorum characteres.*

**CXXVIII.**

*Alii tum minores profani, tum sacri Magistratus.*

*Sculteti sive Schulthaisii : Aldermanni : Decani : Abbates & Prælati Ecclesiarum magna auctoritate & multis prærogativis gaudebant. Germania in varios principatus & respublicas divisa. Germanicæ potentie elogium ex Barclaio.*

**§. III.**

*Religio Germanorum.*

**CXXIX.**

*Dii Deæque.*

*Antiquissimis Germanis nulla idola vel templa fuerunt : coluere tamen duos Deos, nempe Deum bonum, & malum dæmonem, quem Diabol adpellabant.*  
*Præ-*

## Epitome Libri XIV.

Præter hos divinitatem aliquam tribuebant viris præclare meritis seu Heroibus, ut Tuisconi, & filio ejus Manno, ac Herculi. Romanorum tempore etiam Jovi, Marti, Mercurio, Venere, &c. aras & templa struere ac sacrificare cœperunt. Saxones peculiare Numen coluerunt, Irmus seu Irmensul dictum. Demum etiam soli, lunæ, elementis, animalibus, præcipue equis inesse numen credebant.

### CXXX.

#### Luci & Templa.

Lucos tanquam res maxime sacras coluerunt: & in his arbores proceras, præ reliquis Quercus, singulari religione venerabantur. Heic auguria sua, incantationes, & maleficia exercebant: qui mos adeo invaluit, ut vix eliminari potuerit etiam conversa jam ad veram fidem Germania. Tanfanæ templum: aliud Upsalice trium deorum cultui dicatum.

### CXXXI.

*Epitome Libri XIV.*

CXXXI.

*Sacerdotes, Sacrificia, Ritus  
sacri.*

*Druidum institutum: eorum chara-  
cteres, potestas, & doctrina. Drui-  
dæ Sacerdotes mulieres. Sacra sua  
& superstitiones potissimum in lucis &  
sub quercubus peragebant. Ritus sa-  
crificandi. Hostiæ humanæ.*

§. IV.

*Res Militaris Ger-  
manorum.*

CXXXII.

*Ordo & Disciplina Militaris.*

*Bellicæ virtutis gloria Germano-  
rum prærogativa semper fuit. Mili-  
tum*

*Epitome Libri XIV.*

*tum delectus: Quid Fideles, Vassi, Vasalli, Leudes? Quid sit bannire? Ætas ad militiam requisita: inauguratio tyronum. Electio ducum. Nobiles Clientes seu Vasalli tenebantur comitari Regem ad bellum. Disciplina belli severa: pœnæ eam violantium.*

CXXXIII.

*Arma, Signa militaria, Obsidio.*

*Germani omnia negotia publica armati exercebant. Juramentum per gladium. Militum armatura vetus, & recentior. Quid Brunea, Halsberga, Helmus, Spatha, Camisia ferrea? unde biceps Aquila in vexillo Imperii? De tubis, cornibus, & buccinis: tympana sero adhibita. Modus obsidendi urbem. Machinæ variæ: Cancer, Catus, Magnanus, Petraria, Vulpecula, Trabuccheta.*

CXXXIV.

*Epitome Libri XIV.*

CXXXIV.

*Castra, Acies, Pugna,  
Victoria.*

*Bannerio suspenso signum ad expeditionem dabatur. Heroldus seu Fecialis bellum indixit. Castra metandi modus. Aciem instruendi ratio: descriptio pugnae ex Tacito. Fœminæ apud Germanos magnum ad pugnam incitamentum: item æmulatio Comitum. Abscissa hostium capita asservarunt Germani tanquam cimelia. Sacrificia cruenta post victoriam. Pœnce ignavorum.*

S. V.

*Festa & Ludi Germanorum.*

CXXXV.

*Ludi Gymnici, & Decursiones Equestres.*

*Causa, cur apud Germanos pauca vel omnino nulla festa fuerint celebrata,*

*Epitome Libri XIV.*

*ta, uti apud alias nationes. Ludi Germanorum Gymnici, eorumque descriptio. Quid torneamenta, quis eorum auctor, & quæ occasio?*

*CXXXVI.*

*Ratio & modus celebrandi Torneamenta.*

*CXXXVII.*

*Causæ, cur ludi hi fuerint abrogati, & proscripti. De libro, quem hac de re scripsit Georgius Rixnerus.*

*§. VI.*

*Artes & Scientiæ Germanorum.*

*CXXXVIII.*

*Studium Grammaticæ, Poesis, Eloquentiæ, & Historiæ.*

*Varia fors literarum in Germania. Gothi fere primi peculiare chara-*  
*ra-*

*Epitome Libri XIV.*

*rañeres, quibus sermonem suum exprimerent, invenisse feruntur. Scholæ erectæ temporibus Karoli M. Literarum studium vix non extinctum a barbarorum incursionibus. Grammaticæ, Poesis, Rhetoricæ, ac Historiæ cultura, præcipue sub Theodorico Rege, & Karolo M. Imperatore.*

**CXXXIX.**

*Mathesis, Philosophiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ ac Theologicæ Studium.*

*Sub iisdem Mathesis, Philosophia, & Medicina cultores suos habuerunt. Solis legibus & consuetudinibus suis contenti Germani Juris studio olim non multum tribuebant; at seculo XIV. erectis Academiis introduci cæptum est, ac postea civitate donatum. Exorta Evangelii luce Episcopi & Monachi Germanorum Theologi fuerunt.*



*Epitome Libri XIV.*

CXL.

*Artes a Germanis inventæ.*

*Artis mechanicæ studio excelluerunt Germani: his inventoribus debentur Bombarda: Horologiorum structura: & Typographia. Triplicis hujus machinæ inventio pluribus describitur.*

§. VII.

*Mores Germanorum.*

CXLI.

*Exterior cultus corporum.*

*Germanorum veterum procera corpora: capilli ut plurimum flavi, & promissi: barbam vetustis temporibus non aluerunt. Vestium loco initio pelles animalium erant, varii generis pro varietate conditionis vitæ: postea vestes e lino vel lana induerunt. Caput tegebant caputio vel pileo: corpus medium*

*Epitome Libri XIV.*

*camisia interius, exterius tunica seu Rocco, & pallio. Mulieres vestem ad pedes demissam, seu Mantum gestabant. Femoralia, braccæ, calceamenta diversi generis. Describuntur habitationes priscorum Germanorum ex Tacito.*

**CXLII.**

*Interior cultus animorum.*

*Fidei datæ integritas: Communis boni studium: Hospitalitatis cura: divitiæ in pecorum numero: armorum tractandorum peritia & magnanimitas.*

**CXLIII.**

*Convivia: ciborum & potus ratio: continentia: matrimonia.*

**CXLIV.**

*Mos purgandi se a crimine.*

*Triplex modus: primo Purgatio Canonica per jusjurandum. Secundo per duellum: lex Duellionum. Tercio,*

*Epitome Libri XIV.*

*tio, quæ vocabatur Ordaliū, seu per  
laminas & vomeres ignitos, aquam  
bullientem, & frigidam, &c. Pur-  
gatio per Eucharistiam. Singula de-  
scribuntur.*

§. VIII.

*Funebria Germanorum.*

CXLV.

*Funerum nulla ambitio apud Ger-  
manos: rei hujus causa. Valhalla seu  
Aula cæſorum in acie, in quam mi-  
grare animas eorum commenti sunt.  
Huic præſidebat Deus Odinus. Ri-  
tus ſepeliendi mortuos varius apud va-  
rias nationes Germanicas: humanæ vi-  
ditiæ. Locus ſepulturæ: his multa  
olim pretioſa cum cadaveribus illata:  
ſed mos hic proſcriptus fuit. Veteris  
& novæ Germanicæ comparatio.*





# LIBER XIV.

DE

# RE ANTIQUARIA.

---

## PRÆFATIO.

**R**ei Antiquariæ studium, quod mire-  
re, eo ipso tempore, quo nova  
semper inquirimus, nova excogi-  
tamus, nova molimur, eo ipso inquam  
tempore tanto in pretio est, ut in Erudi-  
tionis Imperio nulli *votum & sessio* con-  
cedatur, qui non studii hujus testimonia  
& tabulas palam exhibere possit. Nimi-  
rum in ipsis Antiquitatis ruderibus novi-  
tatis gloriam quærimus, & dum vetusta  
in lucem protrahimus, nova invenisse  
nos credimus. Non eadem tamen om-  
nibus via est, quam hoc in negotio te-  
nent. Aliqui sine ordine & gregatim,  
quidquid veteris ejusmodi supellectilis oc-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XIV. A cur.

currit, libris suis ac scriptis inserunt, ubi valente stomacho opus est, ut tanta dapum copia, quantam hospiti lectori adponunt, bene digeratur. Alii veterum scriptorum relicta nobis monumenta, non raro satis obscura, notis ac commentariis illustrant, eadem cum illis semita incedentes. Quidam vel nomina quæ priscis in usu fuerunt, vel res ipsas Veteris ævi ordine alphabetico studiose in Lexica congerunt, & adjecta paraphrasi dilucidant. Sunt demum non pauci, qui omnem in eo curam collocant, ut Inscriptiones, Epitaphia, numismata, imagines, & quidquid Vetustatem olet, seu saxo inscriptum, seu ære fusum reperiatur, vastis ac pretiosis libris complectantur, & monumenta hæc cupro incisa lectorum conspectui sistant. Et sane doctis hisce ac exquisitis laboribus pleni hodie sunt libri, plenæ libris bibliothecæ. Ego quum ab hac mea, quam eruditionis ac literarum studiosis paravi, *Bibliotheca Domestica* absque nota materiam istam de re Antiquaria abesse non posse perspicerem, cogitare de methodo cœpi, qua negotium istud æque vastum ac difficile, & quidem intra brevitatis limites, quos mihi dudum præscripsi, aggrederer. Occurrit primum, ne tractatio hæc infinita foret,  
de-


delectum aliquem esse faciendum. Hinc statui mecum, Antiquitates potissimum Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & Germanorum in medium adducere, quoniam istæ omnium celebratissimæ ac fecundissimæ sunt, aliæve reliquarum nationum & temporum ex his facile possunt intelligi. Dein, ut ordo servetur, & melius consulatur memoriæ, in certa capita rem omnem dividere decrevi, ita ut I. de cujusvis istorum quatuor populorum *Regimine*, II. de *Magistratibus*, III. de *Religione*, IV. de *Festis & Ludis*. V. de *re Militari*. VI. de *Artibus & scientiis*, VII. de *variis moribus*, VIII. de *funeribus* differerem. qua re illud quoque commodi oriturum facile perspexi, ut singularum gentium antiquitates inter se a capite ad caput conferri possint, ac discrimen, sæpe ingens, notari queat. Denique ut non tam ostentationi aut lectoris oblectationi servirem, quam utilitati, sine qua omnis eruditio sterilis esse solet, & sine succo, ea ex immenso Antiquitatum thesauro selegi, quæ priscorum morum venerationem, documenta sapientiæ, rerum præclare gestarum exempla, & in omni negotiorum genere optimas quasque ideas, dignosque prudenti homine characteres animis nostris ingenerare possent. Serviet quo-

que labor iste vel maxime ad intelligendos priscorum scriptorum libros, quoniam eas quoque, ut cum Apuleio loquar, minutias eruditionis, quæ in vocibus & phrasibus seu modis loquendi veterum continentur, haudquaquam prætermiserim, sed ubique cum Hebræis, Græcis, Ramanis atque Germanis loqui, eorumque formulis res ipsas exponere studuerim. Quoniam vero in tam vasto Antiquitatum campo lliadem nuce completi oportuit, juvat scriptorum quorundam syllabum adtexere, partim eorum, e quibus hæc antiquitatum monumenta fuerunt collecta, partim illorum, e quibus plura ab ipso lectore, si placet, colligi possunt. Sunt autem sequentes : *De Antiquitatibus Hebræorum* : Josephus, & Philo Hebræi : Benedictus Arias Montanus Antiq. Judaic. Godefridus Voigt. Thesaur. Ant. Hebr. Carolus Sigonius Resp. Hebr. Claudius Fleurus : Guilielmus Gæreus : Theodoricus Bassovius : Paullus Scherlogus : Cornelius a Lapide : Tyrinus : Augustinus Calmet, &c. *De Antiquitatibus Græcorum* : Herodotus Halicarnasseus : Thucydides : Xenophon : Diodorus Siculus : Plutarchus : Diogenes Laertius : Granovius Thes. Ant. Græc. Pitiscus Lexicon Antiq. Carolus Sigonius &c.

&c. *De Antiquitatibus Romanorum*: Dionysius Halicarnasseus. Plinius uterque: Onuphrius Panvinus: Borrichius Antiq. Urb. Grævius Thef. Ant. Rom. Flavius Blondus: Pomponius Lætus: Justus Lipsius: Joannes Rosinus. Piriscus, &c. *De Antiquitatibus Germanorum*: Julius Cæsar: Cornelius Tacitus: Paullus Diaconus: Ammianus Marcellinus: Lambertus Schafnaburgensis: Philippus Cluverius Antiq. Germ. Paullus Hachenbergerus Germ. Med. Trithemius Abbas: Beatus Rhenanus: Wolfgangus Lazius: du Cangius, seu Carolus du Fresnius. Jam vero exposita ordinis & consilii ratione ab Antiquitatibus Hebræorum absque ambagibus initium duco, quæ eo majorem fidem merentur, quod procul esse jussis Rabbīnorum & Talmudicorum innumeris fabulis fere omnia ipsis S. Scripturæ verbis confirmare studuerim.







## CAPUT I.

### ANTIQUITATES HE- BRÆORUM.

#### I.

**A**ntea quam de Hebræorum, seu populi a Deo electi, antiquis monumentis pluribus agam, nosse oportet nominum, quibus adpellari solent, diversitatem, quum modo Hebræi, modo Israelitæ, modo Judæi passim audiant. Res hæc ita se habet: ex Adamo & Eva, primis humani generis parentibus, velut e fœcundissima arbore genealogica, per multas generationes quatuor hominum stirpes prodire: prima quidem ab Adamo usque ad Noemum sese extendit; altera a Noemo ad Abrahamum; tertia ab Abrahamo ad David Regem; quarta demum a Davide usque ad Christum Regem Regum. Primæ stirpi haud aliud  
no.

nomen, quam *Hominum* convenire videtur, quoniam nullum iis proprium, nisi quod generatio humana omnibus indulget, S. Scriptura adsignet. Secunda stirps *Hebræorum* nomen sibi vindicare cœpit, incerta quidem origine: si cum D. Augustino, (a) Eucherio, V. Beda, Lyrano, Tostato, Eugubino & Perrierio sentire lubet, ab Heber filio Sale, Noemi abnepote, nomen istud *Hebræorum* Abrahamo ejusque posteris adhæsit. At verior eorum sententia videtur, qui nominis hujus etymon e transitu Abrahami, ejusque familiæ, a regione transeuphratea in Chananitidem derivant, uti Origenes, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Ribera, Arias, Estius, Josephus Scaliger, &c. Heber enim hebraica lingua *ultra* seu *transitum* significat. unde in Genesis libro (b) legimus: *Sem pater fuit omnium filiorum heber*, id est, eorum, qui *ultra* fluvium transiere. Tertiæ stirpi nomen *Israelitarum* obtigit a Patriarcha Jacob, cui Israelis nomen post diuturnam tota nocte luctam Dei Angelus indidit: (c) Jacob autem in

(a) *De Civit. Dei. Lib. 16. C. 3. & Lib. 18. Cap. 39.*

(b) *Cap. 10.*

(c) *Genes. 32.*

duodecim liberos suos, totidem Patriarchas & tribuum Principes propagavit. Quarta denique stirps *Judæorum* nomen sortita est hac ratione: Salomone Davidis Regis filio e vivis erepto in duas partes scissum est regnum. Quippe decem tribubus a Roboamo ad Jeroboamum deficientibus duæ tribus, Juda & Benjamin, in prioris potestate ac fide remanserunt, sibi que proprium regnum Juda constituerunt, reliquis regnum & nomen Israel retinentibus. (d) Maxime vero post captivitatem Babylonicam Judæorum nomen invaluit, ac usurpari cœpit, quoniam tunc Tribus Juda omnibus tribubus & vi & numero major erat, exterique præter eam vix cæteras norunt. Atque ex his patet, qua ratione populus a Deo electus primum Hebræorum, tum Israelitarum, demum Judæorum nomen diversis temporibus & locis velut post multas viarum ambages acquisiverit. Nos de illius antiquitatibus acturi primum Hebræorum nomen potissimum usurpabimus.



§. I.

(d) 3. Reg. 12.

§. I.

*Regimen Hebræorum.*

II.

*Oeconomicum.*

**A**nte Mosis ævum Hebræorum gens nec de Monarchico, nec de Aristocratico vel Democratico imperio quidquam sciebat: soli Deo, ejusque sanctæ legi per Patriarchas, & postmodum per Mosen distinctius promulgatæ, parere consueverat. Hinc scite Josephus Judaicus (e) formam regiminis, quod apud hunc populum obtinuit, *Theocratiam* adpellavit, id est, regimen Dei. Et sane ut in SS. Literis passim legimus, Deus primorum hominum illorum sacrificiis, itineribus, pactis, conubiis- cunctisque familiæ negotiis ipse velut præsens adfuit, & qua consilio qua imperio suo cuncta moderatus est, quemadmodum e sacrificiis Abel, Cain, & Abraham filium suum immolare jussi; e peregrinationibus ejusdem Abrahami, Loti, Jacobi: ex Isaaci cum Rebecca, Tobia junioris cum Sara Raguellis filia conjugio: ex pactis Noemi cum Deo, Abrahami cum Mel-

(e) *Lib. 2. contra Appionem.*

Melchisedeço initis, & compluribus aliis Scripturæ locis luce meridiana clarius patet. Nullius præter Dei mandata & præcepta custodire jubebantur Hebræi: in cæteris plena gaudebant libertate, quali nec Græci, nec Romani. Non erat apud eos juramentum aliquod fidelitatis, quo Domino alicui adstringerentur; non tributa & vectigalia, quæ pendere, non census quos solvere, non venandi piscandique jura privata, quæ observare cogentur: sed agere cuivis libuit, quod voluit, dummodo divinæ legi non adversaretur. Sua cuique voluntas erat & imperandi & obediendi regula, ac dominationis limes & finis. Nihilo tamen minus Patriarcharum tempore viguit quædam regiminis imperfecti forma, scilicet potestas œconomica, quæ in Capitibus & Patribus familias residebat. Duplex hæc erat: quippe tam ad liberos, quam ad servos pertinuit; quæ utraque sane ampla fuit, quum etiam ad libertatem & vitam eorundem sese extenderit. Ad primam quod adtinet, (f) Patribus potestas facta est vendendi filias suas, nuptiarum tamen gratia, quarum etiam speciem quamdam hujuscemodi venditio referebat. Filias quoque a patribus venditas fuisse creditoribus ad expun-

(f) *Exodi C. 21.*

pungendum æs alienum legimus apud Isaiam, (g) interprete Cornelio a Lapide: & Nehemiæ temporibus (h) pauperes quidam parentes, famis necessitate pressi, consilium inierunt, quo prolem suam plus offerenti venderent: alii vero querebantur, quod ob inopiam redimere nequirent filias servituti mancipatas. Præter hæc ad capitis pœnam damnare liberos fas erat Hebræis, quæ tamen severa potestas non uti apud Romanos absoluta fuit, sed magistratui sistere debebant seu Pater seu Mater, vel uterque contumaces, postquam adhibitis aliis pœnarum generibus consuetis nulla prorsus emendationis spes affulgebat: tum vero ex præscripto legis proles ejusmodi Judicum & Seniorum sententia morti adjudicata fuit, & lapidibus obruta. (i) Censebatur enim non indigna res, nec juri naturæ quid repugnans, ut vita filiorum in manu parentum esset, a quibus illi vitam acceperunt. Quamvis autem de Parentibus credendum non sit, quod vita proprios privare natos vellent, erat tamen jus hoc ad continendos in officio & reverentia illis debita filios filiasque admodum salutare.

Al-

(g) C. 50.

(h) 2. *Esdra.* 5.

(i) *Deuter.* 21.

Altera & magis rigida fuit potestas, quam Patresfamilias in servos suos exercere. Horum duæ classes erant: una eorum, quos e devictis in bello gentibus in servitutem redegerunt: altera illorum, qui e tribulibus vel urgente paupertate se ipsos & libertatem suam venderunt, (k) vel qui pro furto commisso satisfacere nequibant: (l) quæ fors alios etiam debitores tetigisse videtur. (m) Posterioris hujus classis melior erat conditio. Nam Domini juebantur agere cum istis, tanquam cum fratribus suis, & ejusmodi servi post sex annos, anno nimirum Sabbatico, ut vocabant, (n) vel si tunc non placeret, anno Jubilæo (o) libertatem consequi poterant. Prioris autem deterior fors fuit, utpote in quos tanquam mancipia, si quid deliquissent, Heri severiores inflictiis verberibus ac plagis animadvertunt. Unde ut eorum insolens dominatio ac sævitia coerceretur, lege cautum erat in libro Exodi (p) *Qui percussit servum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit: sin autem uno die vel duobus super-*  
vi-

(k) Levit. 25.

(l) Exodi 22.

(m) 4. Reg. 4.

(n) Exod. 21.

(o) Levit. 25.

(p) C. 21.

*vixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.* Hæc regiminis, nempe Oeconomici, forma erat sub Patriarchis, cui successit.

III.

*Aristocraticum.*

Fundamenta hujus jecit Moses in deserto: Josue autem in terra Chanaan stabilivit atque perfecit. Et quidem Moses tanquam Dux & Princeps a Deo constitutus Hebræam gentem in duodecim tribus divisam, quæ ambulantis per desertum civitatis speciem præbuit, primum ipse solus gubernabat. Tribus autem istæ originem duxere a Patriarcha Jacob, qui e geminis uxoribus Lia & Rachele, ac duabus ancillis Zelpha & Bala duodecim suscepit filios: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Dan, Nephtali, Gad, Aser, Isachar, Zabulon, Joseph, Benjamin. Hi duodecim fuere Capita & parentes gentis Hebrææ, utpote e quorum singulorum copiosa familia latissime diffusa duodecim, ut dixi, tribus illæ, in sacris Scripturis adeo decantatæ, surrexerunt, ita tamen, ut postea Josephi filios, scilicet Manassen & Ephraim, Jacob adaptarit, volueritque ab iisdem, & eorum posteritate  
duas



duas tribus loco unius ( nempe tribus Joseph ) constitui. Has itaque tribus educens secum Moses ex Ægypto per Capita illarum regebat, ordinem castrorum præscripsit, mandatis in officio continuit, pœnis rebelles castigavit, in divino cultu erudit, jus dixit, & judicia exercuit, adistente ubique Deo, omnesque Mosis actiones moderante. Quum vero crescente semper populi multitudine ipsum majore negotiorum pondere, quam sustinere posset, pressum videret Jethro, focer Mosis, sapiens hic senex auctor illi fuit, ut viros selectos in partem laboris vocaret, & juris dicendi onus in plures divideret; quod etiam consilium secutus Moses: *Electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore,* (q) ita tamen, ut ab his graviora negotia ad se deferrentur, de quibus ipse cognosceret, eaque demum decideret. Non multo post Deus ipse septuaginta Virorum Senatum instituit, quorum divino spiritu afflatorum ope in gubernando populo Moses adjuvaretur. Igitur alii sacra, alii profana curabant. Qui operam rebus sacris dedere, fuerunt Pontifex summus,

(q) *Exodi 18.*

m̄is, Sacerdotes, & Levitæ: penes quos vero profanorum administratio fuit, pars consultationibus & judiciis intenta erat, pars pacis & belli negotia confecit, omnes vero ex arbitrio Mosis pendebant, & secundum Dei præscriptum suo munere fungebantur. Neque solum dum viveret, de ordinanda Hebræorum Republica sollicitus erat Moses, sed futura prospiciens saluberrimas condidit sanctiones, quibus populo in terram a Deo promissam seu Chananæam ingresso Aristocraticum regimen, cujus prima ut dictum est fundamenta jecit, ad summum apicem perduceretur. Nam concionem allocutus: *Non facietis*, ait, *in terra Chanaanæ, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi relictum videtur*, (r) sed ut in singulis urbibus Judices & Magistratus ad cognoscendas causas constituerentur, præcepit; quæ vero majoris momenti essent, ad Sacerdotem de stirpe Aaron, penes quem tum temporis suprema potestas foret, deferri in mandatis dedit: qui autem hujus judicio non acquiesceret, capitis rerum declaravit. (s) Certe Josephus (t) sic loquentem, & Aristocraticum regimen com-

men-

(r) *Deuter.* 12.

(s) *Deuter.* 16. & 17.

(t) *Lib.* 4, *Antiquit.*

mendantem Moſen inducit : „ Aristocra-  
 „ tia & vita, quæ ex ea degitur, res opti-  
 „ ma est, nec vos capiat desiderium alte-  
 „ rius Reipublicæ, sed hanc amate, leges  
 „ habentes dominas: ex iis omnia facien-  
 „ tes. Satis enim est, ut Deus præsit.  
 „ Quodsi Regis cupiditas vos incesſerit, is  
 „ ex eadem gente sit. „ Hæc verba con-  
 sideranti satis patet, Moſen futurorum  
 præſcium Reipublicæ Hebrææ formam  
 eam elegiſſe, in qua Sacerdotes una cum  
 Ducibus seu Principibus a Deo suscitatis,  
 immo & Regibus a populo electis illam  
 gubernarent, ita ut Sacerdotes de cauſſis  
 Legis ac religionis cognoſcerent, ſuprema  
 penes Pontificem potestate relicta : Prin-  
 cipes vero, tam Duces quam Reges, rebus  
 belli ac pacis tractandis, politia & juribus  
 aſſerendis, religione autem & ſacris con-  
 tra impios & temerarios gladio vindican-  
 dis occuparentur; qua ratione temperata  
 Republica *Regale Sacerdotium*, seu mix-  
 tum Sacerdote ac Rege imperium inve-  
 xiſſe videtur Moſes. Ita res toto itineris  
 per deſertum tempore agebantur, ſpatio  
 ſcilicet triginta novem circiter annorum.  
 At Moſe e vivis ſublato Joſue rerum po-  
 titus, poſtquam Jordanem ſicco veſtigio  
 trajecit, atque in regione Chanaan pedem  
 fixit, triginta & uno Regibus devictis,  
 eje-

ejectisque antiquis possessoribus, quod Moses inchoaverat, regimen stabilire cœpit; ac primum quidem regionem totam partim sorte, partim arbitrio habitandam divisit inter memoratas duodecim tribus, sua cuius portione ac limitibus adsignatis, excepta tribu Levi, quæ ab hac sortione submota est, nec inter reliquas tribus numerata, sed ei, in cujus finibus confederat, adscripta: neque pars ulla terræ huic concessa fuit, sed sacerdotia, primitiæ, decimæ, victimæ, quæque in templo offerri solebant, sunt adtributa. Tum Judices ac Magistratus per omnes civitates constituit, ipseque cum Eleazaro summo Sacerdote ac Senioribus ad clavum Reipublicæ sedens consilio & exemplo cuncta provide ac fortiter moderatus est. Demum senio confectus omnem Israelem, Majoresque natu, & Principes, & Duces, & Magistros in concionem vocavit, (u) innovavitque fœdus Dominum inter & populum, jam a temporibus Abrahami constitutum.

Verum juvat penitus regiminis hujus formam inspicere. Hebræorum populus erat bipartitus: unam partem confecere  
in

(u) *Josue* 23.

indigenæ, qui ab Israele genus trahentes Legem *circumcisione* professi sunt: alteram advenæ seu Profelyti, qui e gentibus prognati, sed ab idololatria ad veri Dei cultum transeuntes *circumcisionem* admiserunt, quosque ita indigenum loco haberi Deus ipse jussit. (x) Respublica vero Hebræorum veluti tripartita fuit: unam constituebat universus populus, e duodecim tribubus collectus: alteram singulæ tribus: tertiam singulæ tribuum singularum civitates. Prima & princeps Respublica sedem suam obtinuit ea in urbe, quam Deus designavit pro publico religionis cultu, nimirum in qua Tabernaculum, & postea Templum collocari voluit, atque per sacrificia & victimas honorari; ubi etiam habitare consueverant illi, penes quos sacrarum & profanarum rerum summa potestas fuit. Huc enim stans temporibus tum religionis tum judiciorum causa omnis Hebræorum populus confluit. Numerabantur autem duæ hujusmodi urbes: primum Silo in Samaria & finibus Ephraim, dicente S. Scriptura: *Congregati sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum Testimonii.* (y) & : *Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria.*

(x) *Exod. 12.*(y) *Deuter. 22.*

via. (z) Postmodum repudiata Silo tempore Davidis Hierosolyma, in Judæa & tribu Judæ sita. *In templo hoc & in Hierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.* (a) Atque hæc prima Respublica paruit summo Principi, qualis erat Moses, Josue, reliquique Duces populi. Secunda per illam regionem se extendit, quæ in sortitione facta cuivis Tribui obvenit, habuitque Præfectum, qui tribus illius Princeps dictus est: non minus alios inferiores, qui familiarum Principes sunt adpellati. hi tamen omnes supremo Capiti primæ reipublicæ subjecti fuere. Tertiæ reipublicæ sedes in ea civitate cujusque Tribus erat, in qua Senatus fuit constitutus, qui causas privatas quæ civiles, quæ *criminales* ut vocant, cognosceret. Duplex personarum genus ad hunc Senatum pertinuit, primum *Sopbetim* seu Judices, qui collatis consiliis & calculis sententiam tulere: alterum *Soterim*, id est, Ministri, quorum erat mandata Principum edicere, ac exequi quæ Magistratus aut Senatus jussisset, intentato pœnarum timore omnibus, qui parere detrectabant. hinc officium, quo fun-

(z) *Jud.* 21.(a) *L. 4. Reg.* 21.

gebantur, honorificum potius quam vile fuit, ita quidem, ut non raro Levitæ illud obierint. In singulis civitatibus viginti tres Judices fuisse tradunt scriptores rerum Judaicarum, qui omnes convenire debuerunt, ubi de crimine capitis pœna digno agebatur: quando autem de multa pecuniaria solum, tres sufficiebant. Hos Judices ad portam civitatis sedisse frequenter memorat S. Scriptura, id est, judicia ibidem tanquam in proprio tribunalis sui loco exercuisse, utpote cui rei aptissima videbatur civitatis porta. Quum enim Hebræi vix non omnes agriculturæ dediti essent, illic & mane ad laborem exeuntes, & vesperi redeuntes domum, frequentissime convenerunt, non secus ac Romani in foro pro tribunali sederunt, tanquam proprio mercatorum loco, quales plerique fuerunt. Solemnem ejusmodi judicii actum nobis exhibet S. Scriptura: (b) Agebatur causa inter duos propinquos de agro emendo, & de Ruth in uxorem ducenda. Igitur Booz ad portam ascendit, quumque vidisset propinquum præterire, decem viros de Senioribus populi convocavit, qui confestim ad portam confederunt. Tum re in utramque partem  
agi-

(b) *Ruth C. 4*

agitata prior propinquus juri suo cessit, & calceo detracto ac Booz porrecto (hic ritus erat firmandæ cessionis) & agrum & Ruth eidem reliquit, qui mox ad Majores natu, id est, Judices & universum populum conversus, *Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mabalon tradente Noemi, & Ruth Moabitidem uxorem Mabalon in conjugium sumserim . . . . Vos inquam hujus rei testes estis. Respondit omnis populus, qui erat in porta, & Majores natu: Nos testes sumus.* Atque ita judicium brevi manu finitum erat. Cætera dubitari vix potest, fuisse non procul a porta, ubi amplius spatium patuit, ædificium quoddam in propatulo erectum, in quo Judices & Seniores eminentiore loco & ordine sedentes judicia hæc exercebant, quemadmodum infra dicemus de loco tribunalis supremi, quod Hierosolymis Templo adjunctum fuit. .

IV.

*Monarchicum.*

Aristocratiam excepit regnum, quod Monarchicum regimen adpellare fas est, non quod hoc omni lege solutum fuerit,



& ex solo imperantis arbitrio penderet, sed quod potestas gubernandi, per plures antehac divisa, nunc in uno, qui Rex dicebatur, capite residere cœperit. Itaque populus Hebræus Veteris instituti pertæsus, & finitimarum gentium exemplo illectus a Samuele Regem importune satis postulabat: *Constituë nobis Regem, ut judicet nos, ut universæ habent nationes.* (c) Samueli vero hac super re gravissima Deum consulenti hic respondit: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos . . . Veruntamen contestare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos.* Tum jus hoc latius explicavit Propheta, inquiring: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, & faciet sibi equites & præcursores quadrigarum suarum: & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias, & pannificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet*

*net in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ejus servi. Verum hæc narrando potius historice, quam adprobando Samuelem nunciasse, meliores S. Scripturæ Interpretes contendunt, quum hic non legitimus regiæ potestatis usus, sed abusus esset, & violenti abortus imperii, quod despoticum nuncupant. Interea populo, ut votis suis satisfaceret, urgente primus sceptrum & coronam adeptus est Saul. Erat autem a Judicum & Ducum electione ac potestate multum diversa Regem creandi ratio, ejusdemque auctoritas. Ad primum quod adtinet, creatus est Rex universi populi suffragiis: dein oleo sacro inunctus. Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum, & ait: Ecce unxit te Deus super hæreditatem suam in Principem. (d) post hæc in regali solio magna cum pompa collocatus. Potestatem quod spectat, in omnes duodecim Tribus principatum obtinuit, judicavit illas vel cum conciliis, vel etiam solus: bella arbitrio suo suscepit ac gessit: vitæ etiam ac necis potestatem in subditos suos habuit absque juris forma: hac usus est David in eum, qui de Saulis*

in-

(d) 1. Reg. C. 10.

interitu nuncium tulit, seque occidisse Regem jactavit: & in illos, qui vitam Isboſetho ex infidiis eripuerunt, (e) quos omnes e veſtigio coram ſe trucidari juſſit. Præterea tributum ab iſſis Iſraelitis, gente cæteroqui liberrima, exigere fas erat. Ita Saul promiſit, omni tributo eſſe liberandum, qui cum Goliath ſingulari certamine congreſſurus eſſet. (f) Ita populus quoque apud Roboamum conqueſtus eſt, nimis a Salomone Rege tributis ſe oneratum fuiſſe, (g)

Neque ſolum hæc late patens poteſtas, verum etiam aulæ ac comitatus magnificentiæ auctoritatem Regibus conciliarunt longe maximam. Certe Regina Saba poſtquam vidit ſapientiam (ſcilicet Salomonis) & domum, quam ædificaverat, nec non & cibaria menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & officia miniſtrorum ejus, & veſtimenta eorum, pincernas quoque & veſtes eorum, & victimas, quas immolabat in domo Domini, non erat præſupore ultra in ea ſpiritus . . . . Non credebam, ait, narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiffent oculi mei. (h) Filii quoque Regum ſplendido cum comitatu in  
pu-

(e) 2. Reg. 1. &amp; 4.

(f) 1. Reg. 16.

(g) 3. Reg. 12.

(h) 2. Paralip. 9.

publicum prodierunt, uti Absolon & Adonias, qui curribus & equitibus stipati quinquaginta Viris antecedentibus palam comparuere. Nec opes deerant sustinendæ majestati. Vivebant enim Reges non solum publicis, sed etiam privatis bonis. Profecto inter thesauros Davidis numerabantur non solum aurum & argentum ex tributis collectum, sed etiam agri, vineæ, cellæ olei & vini, arbores olivarum & ficum, greges boum, camelorum, & asinorum: & Salomon habuisse legitur variis per totam regionem locis duodecim Præfectos seu Promoscondos, quorum quisvis assignato sibi mense ad culinam regiam diebus singulis triginta tres boves, & centum oves subministrare debuit, alendis nimirum quinque millibus hominum in regiis servitiis occupatorum suffecturos. Multa quoque Rex hic palatia ædificavit, multas munivit urbes, aliaque opera publica reliquit, regię opulentię monumenta: omnia vasa, supellex omnis *Domus Libani* erant ex auro, præter 200. aurea scuta, quorum quodvis ultra sex millia, aliave scuta minora trium millium florenorum pretio æstimata. (i) Quantumcunque autem magna amplitudine esset Regum

(i) 3. Reg. 9.

gum potentia, legibus tamen a Deo per Mosen latis suberant non minus, quam privatorum quique, ita quidem, ut nihil omnino iis addere, demere nihil liceret. Sed demum & regimen hoc variis agitatatum fatis una cum regno & regibus extinctum est post mille centum & sexaginta octo circiter annos. Primi Reges, qui in Juda & Israel dominabantur, erant Saul, David, & Salomon. Post hos secessione facta, & divisio Tribubus, ut alibi dictum est, Israeli præfuit Rex Jero-boam cum novendecim aliis usque ad Oseam, quo in vincula dato novem tribus Israelis captivæ in Assyriam & Mediam abstractæ fuerunt, ipsumque regnum hoc eversum est. At Judæ imperarunt e Davidis familia Roboam cum viginti aliis usque ad Sedeciam, quo cum filiis occiso Urbs Solymæa a Nabuchodonosore misere vastata, Templum solo æquatum, & incolæ in Babyloniam sunt abducti. Finita post septuaginta annos servitute ad Principes transit imperium Hebrææ gentis, quorum primus Mathathias cum quatuor aliis. Tum Reges rursus successere, Aristobulus aliique quatuor, inter quos postremus Herodes Magnus. Hæc sub Romanorum jugo ingemiscere cœpit Judæa. Surrexerunt denuo tres Reges, quorum ultimus

Archelaus, Judæa denuo a Romanis subjugata. Quartus denique comparuit Rex Herodes Agrippa, Aristobuli filius, & M. Herodis ex Mariamne nepos, sub quo tertia vice Judæa in Romanorum potestatem redacta, & a Tito Cæsare regnum cum metropoli Hierosolyma, & Templo penitus eversum fuit, dissipatis per omnem terram Hebræis. Funestissimæ huic cladi præluserunt divinæ Nemesis feciales e cœlo nuncii. Ajunt enim fide digni scriptores, vaccam aris admotam, jamque sub securi trementem peperisse agnum: integras armatorum militum acies per aera transcurrere visas: auditam noctu in Templo vocem insolitam: *Migremus hinc! migremus hinc!* quin toto quadriennio excidium præcedente Virum quemdam plebejum, Jesum Anani filium, dies noctesque lugubri voce plateas implevisse, ejulantem *Væ, Væ, Væ tibi Jerusalem;* qui postmodum in ipsa obsidione vallo insistens, quum ingeminaret triste melos: *Væ etiam & mihi!* saxo e balista emisso & vivere, & vociferari desit. (k)

V.

(k) *Joseph. Lib. 7. bell. Judaic. Cap. 12. aliique,*

*Leges Hebræorum, & Pœnæ.*

Quoniam vero nullum regimen san-  
 ctum tectumque subsistere potest absque  
 legibus, quibus quid fieri oporteat, intel-  
 ligant subditi, & absque pœnis, queis a  
 legibus violandis absterreantur, iccirco &  
 de his breviter agendum est. Triplicis  
 generis leges erant, quibus obstringeba-  
 tur respublica Hebraica, scilicet *Morales*,  
*Ceremoniales*, & *Judiciales*. *Morales*  
 continebantur in Decalogo, qui in lapi-  
 deis duabus tabulis digito Dei scriptus  
 Mosi in monte Sinai quinquaginta annis  
 ab egressu ex Ægypto traditus fuit, non  
 sine pluribus prodigiis, quæ commemorat  
 S. Scriptura: (1) 1. Totus mons cir-  
 cumquaque fumabat, tremebatque. 2.  
 Totus ardere visus est. 3. Horrenda mi-  
 cabant fulgura, & reboarunt tonitrua. 4.  
 Caligo erat densissima, quæ montem ope-  
 riebat. 5. Immanis pluvia & procella e  
 nubibus effusa. 6. Sonus buccinæ conti-  
 nuo ex omni latere perstrepebat. 7. Pro-  
 micantibus a fronte radiis cornium instar  
 Moses cum tabulis hujus legis e monte  
 rediit. Quæ omnia eo tendebant, ut He-  
 bræi

(1) *Exod.* 19.

bræi sacro quodam horrore correpti debitam Legislatori Supremo reverentiam exhibere, ac promulgatas sibi leges eo religiosius custodire docerentur. Continebat autem Decalogus præcepta decem, tria quæ ad Deum, ut unus coleretur, ne profanaretur nomen ejus, ut Sabbato honos haberetur: tum septem, quæ ad proximum spectant, nimirum ut parentes honorarentur, ne cædes, furtum, aut adulterium committeretur, ne falsum præberetur testimonium, neque uxor neque res alterius concupisceretur. Unde nata sacra illa gnome: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo & proximum sicut te ipsum.* Leges Ceremoniales ad quatuordecim capita referri possunt. Agebant enim 1. De loco victimarum & *Sanctuario.* 2. De vasis Sancti Sanctorum, sancti & atrii. 3. De Tabernaculo & Atrio. 4. De Sacerdotum & Pontificis vestibus, de consecratione illorum, & Levitarum: de dotibus & muniis Ministrorum: de eorundem urbibus & proventibus. 5. De sacrificiis, de primigeniis, primitiis frugum, & decimis. 6. De censibus & *oblationibus.* 7. De Nazaræis, & votis. 8. De puerpera, de lepra infectis, aliisque immundis. 9. De aqua lustrica. 10. De munditie castrorum.



rum. 11. De habitu & vestitu. 12. De cibis mundis & immundis. 13. De festis. 14. De cadaveribus. *Judiciales* itidem quatuordecim capita complectebantur. 1. Quid Judicibus, Principibus, & Regibus esset observandum. 2. Quæ jura belli. 3. Circa matrimonium & libellum repudii. 4. De homicidarum pœnis. 5. De resarciendis damnis in cæde animalium. 6. Quid notandum circa testes. 7. Quo loco habendi servi & ancillæ. 8. De misericordia erga bestias. 9. Præcepta ad mercenarios, peregrinos, pupillos & viduas pertinentia. 10. De pignoribus. 11. Ventantur graviter usuræ inter Hebræos. 12. Qua ratione compensanda furta & damna illata, horumque pœnæ. 13. Quid agendum circa res depositas. 14. Quid circa commodatas. Hæc legum summa capita. Singularum in suas classes distributarum synopsis exhibet Cornelius a Lapide. (m) Ut autem hæc leges nunquam memoria exciderent, alia duo præcepta instar custodiæ Deus addidit: Primum, ut eas in volumine descriptas penes se haberent Reges, & assiduo perlegerent. *Rex postquam sederit in solio regni sui, describet Deuteronomium legis bujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Levitica tri-*

(m) Tom. I. Pentateuchi ad finem.

tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & justificationes ejus, quæ in lege præcepta sunt. (n) Alterum, ut a Pontifice in solempni festo Tabernaculorum quot annis publice populo prælegerentur: In solempnitate Tabernaculorum convenientibus cunctis ex Israel in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, ut discant, & timeant Dominum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus. (o) Dici vix potest, quanto studio harum legum observantia a Mose, Ducibus, & a Prophetis populo, a Majoribus, Parentibus, & a Patribus familias filiis & servis fuerit commendata, & perpetuo inculcata, adeo ut demum hæc religio in superstitionem abierit. Legimus enim, Pharisæos, homines superbia inflatos, quando in publicum prodierunt, fronti & cubito oblongas latioresque membranas (Scriptura vocat phylacteria) certis legum sententiis inscriptas alligasse, quin etiam in palliis ansulas quasdam & fimbrias longius quam mos ferebat, pendentes gestavisse, ut hoc indicio cæteris studio legis præstare viderentur, sectantes corticem legis,

(n) Deuter. 17.

(o) Deuter. 31.

gis, nucleum negligentes. *Pharisæi dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* (p)

## VI.

Quam sanctæ autem leges erant, quibus Hebræorum respublica regebatur, tam graves etiam pœnæ ac supplicia fuerunt constituta delinquentibus. Ejusmodi fuerant *Multa, Talio, Flagellatio, Venditio, Exilium*: necis autem tria genera produnt SS. Literæ: *Combustionem, Crucifixionem, Lapidationem*. Multa imponebatur, vel in ære vel in re pecuniam æquante pendenda. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* (q) *Si quis percusserit mulierem pregnantem, & abortivum fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.* (r)

Talionis pœna statuta erat in illos, qui vitam alteri auferebant, vel vulnus infligere: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro ma-*

(p) *Math. 23.*(q) *Exod. 22.*(r) *Exod. 21.*

*manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, livorem pro livore.* (s) Multi & Judaicorum scriptorum, & Christianorum Interpretum mitigare rigorem legis hujus conantur, dum contendunt, eam intelligendam esse de multa pecuniaria, vel pœna crimini respondente: Josephus tamen (t) animadvertit, læso potestatem factam, ut ultionem injuriæ re ipsa prosequeretur, nec hoc invito pœnam a lædente oblata pecunia redimi potuisse. Id satis certum, non privata sed publica auctoritate pœnam talionis infligi oportuisse. Flagrorum supplicium frequens fuit apud hunc populum, & vulgaribus etiam criminibus, in legem commissis, vindicandis adhibitum. (u) *Prosternent, (nimirum Judices reum) & coram se facient verberari. pro mensura autem peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fæde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Modum infligendi hujus supplicii sic describunt Rabbini: Reus coram Judicibus antea prostratus &

(s) *Exodi 21.*

(t) *Antiquit. Lib. 4. Cap. 8.*

(u) *Deuter. 25.*

& condemnatus, vinctis brachiis ad columnam alligabatur, ita humilem, ut dorsum emineret excipiendis ictibus paratum. Aderant quoque tres Judices, quorum unus verba Deuteronomii (x) proclamabat: *Nisi custodieris, & feceris verba legis hujus, augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui.* Alter ictibus numerandis intentus erat: postremus supplicii ministros hortabatur, ut munere suo rite fungerentur. Flagrorum alia funiculis sive loris, alia vero arborum ramis seu virgis constabant; quamvis non desint, qui virgarum supplicium ab eo, quod flagris sumebatur, diversum fuisse credant. Venditio furum pœna fuit: *Si fur non habuerit, quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* (y) Exilium pro quibus delictis fuerit decretum, non constat ex S. Scriptura. Solum univèrse dicit Esdras, (z) *Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exilium, &c.* Ad ignem & rogam damnare reos, non adeo infrequens fuit apud Hebræos. Ita Judas intelligens nurum suam Thamar e damnato coitu gravidam esse, velut adulterii ream

(x) C. 28.

(y) Exod. 21.

(z) L. I. C. 7.

ream ad rogam damnavit : *Producite eam, ut comburatur.* (a) Incesta conubia cum matre & filia flammis vindicari imperat lex : *Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est : vivus ardebit cum eis ; nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* (b) Sacerdotis quoque filiam flammis exuri mandat Moses , *si deprehensa fuerit in stupro , & violaverit nomen Patris sui.* Crucis supplicium non quidem certo cui-dam crimini a lege statutum invenire licet : Plura tamen scelera huic pœnæ obnoxia fuisse exempla commonstrant : inprimis idololatriam , & blasphemiam. Nam ubi populus Israeliticus in terra Settim cum filiabus Moab scortabatur , atque idolo eorum Beelphegor initiabatur , *iratus Dominus ait ad Mosen : tolle cunctos principes populi , & suspende eos contra solem in patibulis , ut auferatur furor meus ab Israel.* (c) Judæi autem nefanda perfidia Christum , ac si blasphemiam in Deum reus esset , apud Pilatum accusantes *crucifige , crucifige* clamaverunt. Dein propria hæc seditiosorum ac regnum adfectantium pœna fuit , quæ rursus

(a) *Genes. 38.*

(b) *Levit. 20.*

(c) *Numer. 25.*

sus crimina Christo Judæi coram Pilato objecerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Quin & publicis latrociniiis decretum fuit crucis supplicium: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Cautum vero erat, cruci affixorum cadavera ad vesperam & solis occasum deponi, ac sepulturæ mandari. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* (d) nisi forte criminis ratio postulare videretur, ut ad terrorem incutiendum pluribus diebus, quin & mensibus suspensa in patibulo corpora relinquerentur, uti contigit filiis Saul a Gabaonitis permittente David in crucem actis. (e) Denique aliud, & infame mortis genus erat, lapidibus obruere nocentem vel idololatriæ, vel blasphemix, vel Sabbati violati, aut adulterii. Qui crimen ejusmodi ab altero commissi iudicium ad Judices adtulit, testimonio approbato primus lapides in reum conjecit; tum populus eundem excipiens lapidibus extra urbem est persecutus, donec mortem oppeteret. ita præcipiebatur in libro Levitico (f) *Educ blasphemum*

ex-

(d) Deuter. 21.

(e) 2. Reg. 21.

(f) Levit. 24.

*extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus super caput ejus, & lapidet eum universus populus.* Atque hoc factum est cum iis, qui judicio publico ad hanc pœnam condemnati fuerunt. Non raro enim Judæi reum idololatriæ, blasphemix, vel adulterii ubicunque occurrentem lapidibus impetebant, zelo legis abrepti: unde etiam *judicium zeli* adpellabant. Christum ipsum legimus jussisse obrui lapidibus adulteram ad se adductam, si quis foret inter accusatores criminis expers. (g) Quin parum ab hoc genere supplicii ipsemet abfuit in templo, quum blasphemix a Judæis argueretur. Non deerat tamen omne refugium reis. Nam qui fortuito casu & imprudens hominem occidit, salutis asyllum invenire potuit in urbibus, quas *Refugii* adpellabant. Harum sex erant a Mose designatæ, tres citra Jordanem, nempe *Cedes Nephtali, Hebron & Sichem*: aliæ tres trans Jordanem, scilicet *Bosor, Gaulon, & Ramoth Galaad*. Ne vero locus fraudi pateret, judicibus fas erat, in ejusmodi reum secundum leges inquirere. Accitus igitur in judicium illius loci, in quo cædes fuit commissa,

(g) *Joann. C. 8.*



si causam suam defendere poterat, reductus est in urbem, ad quam confugit, ibidem impune morari permittebatur: si minus, supplicio a lege præscripto subiacuit. Post obitum tamen summi Sacerdotis velut omni criminis labe absolutus, omnino liber dimissus est. (h)

## §. II.

*Magistratus Hebræorum.*

## VII.

*Judices.*

**A**d regendam, continendamque in officio tantam populi multitudinem opus erat Magistratu non uno, sed pluribus, qui divisis inter se curis communem reipublicæ felicitatem promoverent, quando designata, ut dictum est, a Mose Aristocratia introducto in terram Chananæam populo, ac distributis inter Tribus singulas possessionibus constituta & firmata fuit. Primum facile locum inter Magistratus obtinebant Judices, qui licet Duces populi simul fuerint, non tamen a dignitate hac *Duces*, sed ab officio, quod judicando exercebant, *Judices* nominabantur. Horum auctoritas, quæ  
ad

(h) *Numer.* 35.

ad regiam proxime accedebat, in eo sita erat, quod judiciorum, consiliorum, atque bellorum negotia suprema cum potestate administrarent. Quam rationem exercendi judicia adhibuerint, e geminis, quæ S. Scriptura suppeditat, exemplis intelligere licet. *Judicabat Samuel Israellem cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circumiens Bethel, Galgala, & Masphat, & judicabat Israellem in supradictis locis, revertebaturque in Ramatba. ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Israellem.* (i) E quibus verbis patet, Samuelem aliquando accessisse ad diversas urbes ac regiones judicii exercendi gratia: aliquando accedentibus ad se suamque domum ibidem justitiam administrasse, ita ut prius veluti *judicium ambulans*, posterius *stabile* dici potuerit. At Debora (Prophetes scœmina, devicto Jabin Rege, & Sisara belli stratego occiso inclyta, quartum inter Judices locum obtinens) Debora inquam *judicabat populum illo tempore, & sedebat sub palma inter Rama & Bethel in monte Ephraim, ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium*, quod *campestre* ac sub dio habitum adpellari potest, (k) Hæc ju-  
di-

(i) 1. Reg. 7.

(k) Judic. 4.

dicandi potestas latissime quidem patuit, jus tamen necis nequaquam ex Judicum arbitrio pendeat, sed administrari illud secundum legis præscriptum & apicem oportuit. *Consilii* nomine veniebat facultas populum congregandi, convocandi Senatum, & cum utroque, quæ e republica videbantur, agendi. Ista uti apud Mosen, & Josue, ita post hos penes reliquos Judices & Reges fuerat. *Belli gerendi* munus iisdem incubuit. quippe omnia bella Judicum tempore gesta ipsos tanquam Duces supremos gessisse constat, non tamen sine Seniorum ac populi arbitrio decrevisse, antequam Reges constituti fuerint, qui hanc potestatem sibi deinceps solis vindicarunt. Cætera Judices, quorum dignitas nonnisi cum morte finiebatur, non jure natalium sed ut plurimum Dei voluntate sibi successerunt: aliquando tamen populus Numinis indicium non expectans Judicem sibi delegit, quem fortissimum tantoque oneri parem existimabat: *Pervexerunt Seniores de Galaad, ut tollerent in auxilium suum Jephthe, dixeruntque ad eum: Veni & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* (1)

(1) *Judic. II.*

## VIII.

*Principes.*

Principum triplex classis erat, ut alibi memorabam. Primam constituebant Principes Tribuum, seu Phylarchi, ut a Philone vocantur, qui singulis præfuerunt, earumque negotia tum sub Judicibus tum sub Regibus curarunt. *Locutus est Moses ad Principes tribuum filiorum Israel.* (m) *Convocavit Salomon Rex omnes Seniores Israel, & omnes Principes tribuum.* (n) Jura quibus gaudebant, satis splendida fuerunt. Quippe adstabant lateri Ducis aut Regis, & cum iis confidentes partim consilia inierunt, partim jus dixere singulis tribubus: tum etiam si quid jurejurando publico sciendum erat, quemadmodum in fœderibus aliisque contingit, una cum Duce aut Rege solemnibus formula se obstrinxerunt: *Josue fecit fœdus cum Gabaonitis jurans, & simul Principes Synagogæ.* (o) Altera classis fuit Principum familiarum. Nam uti totus populus in duodecim tribus, ita & unaquæque tribus in plures

(m) *Numer.* 30. (n) 2. *Paralip.* 5.(o) *Jos.* C. 9.

familias divisa erat. Penes hos residebat earundem familiarum sibi subjectarum regimen; illas sæpius convocare debebant, & referre negotia, quæ totam rempublicam tangebant: si bellum ingrueret, selectos ex illis Viros secum adferre ad exercitum, quin & Ducum officio fungi oportebat. A supremis autem Ducibus & Regibus ad consilia & ad judicia celebranda honorifice admoti fuerunt. In tertia numerabantur Principes civitatum, quarum plures erant, a diversis familiis habitatæ. Principum autem horum nomine ac dignitate gaudebant *Tribuni*, qui mille Viris, *Centuriones*, qui centenis, *Quinquagenarii*, qui quinquaginta, *Decani*, qui denis præerant. Hi ubi opus erat, civitatis illius, quam incolebant, Senatum convocarunt, atque cum eo de rebus publicis consilia iniierunt: tum ad aliquot Senatorum istorum, tanquam iudices legibus constitutos, causas subditorum definiendas introduxerunt: demum a Iudice vel Rege vocati de negotiis reipublicæ cum reliquis Principibus consultabant, & causas ad supremum illud tribunal delatas cognoscebant.

IX.

*Concio, & Senatus.*

Postquam vidimus, quinam Magistratus Hebræorum fuerint, quamque habuerint potestatem, explicandum modo, ubi & qua ratione potissimum illam exercuerint. Notum est illud Jurisperitorum effatum: *non omnia lege comprehendi possunt.* Hinc opus est consiliis, in quibus sapius de communi bono disceptetur ac pronuncietur, uti de bello, pace, annona, finibus regundis, ferendis legibus privatis, Magistratibus creandis, & quæ sunt alia. Quemadmodum autem in cæteris, ita etiam in Hebræorum Republica ejusmodi Consiliis vel maxime locus fuit. Quodsi promiscue & ab omnibus inita fuerunt, *Concionem* vocare placuit; si vero seorsum & a paucioribus ac Senioribus, *Senatum.* De Concione satis constat e SS. Literis, auctorem habuisse ipsum Deum. hic enim (o) ad Mosen: *Loquere filiis Israel: loquere ad universum cætum Israel.* & respondit populus: *Quæ locutus est Dominus, faciemus, & obedientes erimus.* rursus (p) *Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, quando concio*

(o) *Exod. 24.*

(p) *Deuter. 9.*

*cio populi congregata est.* Heic vero tria  
 occurrunt memoratu digna. primum est,  
 quod concionem convocandi potestatem  
 non habuerint, nisi qui summo cum im-  
 perio præfuerunt, scilicet Duces, Reges,  
 ac Principes supremi. *Congregavit Jo-  
 sue omnem Israelem in Sichem (q) Dixit  
 Samuel Judex, congregate omnem Israe-  
 lem in Masphat. (r) Congregavit David  
 Rex omnem populum. (s) Ne liceat ulli  
 convocare conventum in regione, sine ipso,*  
 id est, Simone Principe. (t)

Alterum est modus & ratio conyo-  
 candi, quod fieri solebat tubarum sonitu  
 jam inde a Mosis tempore. huic enim  
 præcepit Deus: (u) *Fac tibi duas tubas  
 argenteas ductiles, quibus convocare possis  
 multitudinem . . . quando autem congre-  
 gandus est populus, simplex tubarum clan-  
 gor erit, Et non concise ululabunt, filii  
 Aaron clangent tubis.*

Tertium denique sunt causæ, ob quas  
 populus convocari consuevit, nempe vel  
 ad audiendum, uti principio contigit, dum  
 mandata Dei & leges promulgabantur;  
 vel ad orandum & sacra facienda in lo-  
 cis

(q) *Jos. 24.*(r) *1. Reg. 7.*(s) *2. Reg. 13.*(t) *1. Machab. C. 14.*(u) *Numer. 10.*

cis ad id destinatis, qualia fuerunt Mafpha, Silo, & Galgala; vel ad agendum de creando Iudice, Rege aut Principe, deque bello gerendo, quarum rerum multa exstant in SS. Literis exempla.

Senatus universi populi (erant enim etiam alii ordinis inferioris in singulis tribubus & civitatibus) Senatus inquam universi populi a Deo ipso per Mosen introductus est, & ex LXX. Viris, qui ætate ac prudentia cæteros antecelluerunt, conflatus. *Congrega mihi septuaginta de Senioribus Israel, quos tu nosti, quod Seniores populi sint, & Scribas; & duces ad ostium Tabernaculi fæderis, faciesque ibi stare tecum, & descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & tu non solus graveris.* (x) Venerabilis hic Ordo Seniorum perpetuo adhæsit lateri Mosis, reliquorumque Ducum, tanquam Reipublicæ Capitem; cum iis confidebat, & de summa rerum una cum principibus consilia agitabat: etiam Regibus postea maximæ venerationi fuit, ita ut Josephus scribere non dubitarit: *Nibil agat Rex sine Pontificis, & Senatorum sententia.* At diviso regno, & fa-  
Et

(x) Numer. 15.



Et decem tribuum secessione Senatus hic in tribu Juda & Benjamin eodem quidem septuaginta Virorum numero fuit conservatus, non tamen eadem semper auctoritate apud Reges, utpote quorum aliqui, qui tales non erant, quales Deus esse mandavit, sed quales ipsi esse optabant, supremam potestatem sibi arrogantes etiam sine Senatus consulto decreta sanxerunt, & negotia regni administrarunt.

## X.

*Judicium, & Concilium.*

Judicium & Concilium diversa fuisse apud Hebræos tribunalia latis prodit Psaltes Regius, dum ait (y) *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in Concilio justorum.* & distinctius Servator. (z) *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit Concilio.* Primum Græci κρίσιμ seu judicium, alterum συνέδριον sive concilium adpellabant. Judicium in singulis civitatibus erat constitutum, jubente Deo (a) *Judices & Magistratus constitues tibi, & judicabunt*  
po-

(y) *Psalms. 1.*(z) *Matth. 5.*(a) *Deuter. 16.*

populum justo judicio, neque flectent judicium, neque agnoscent personam, neque accipient munera. Judices hos e gremio Senatorum cujusvis civitatis lectos, atque judicia ad portas civitatis exercita fuisse jam nuper diximus. Si noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & vocabit Senatum. (b) Formam illius latius nonnihil explicare juvat, cujus ideam nobis reliquit Petrus Galatinus, olim Hebræus, postea Christianus: „ in principio, inquit, non erat controversia in Israel, sed Domus judicii „ LXX. Judicum in diversis locis sedebat. Una autem earum sedebat in „ portis montis Domus, id est, Templi: „ altera vero in porta Atrii: reliquæ autem domus judiciorum viginti trium „ Judicum ( de quibus scilicet hoc loco „ nobis sermo est ) sedebant in singulis „ civitatibus Israel: Quum vero aliquid „ poscendum erat, a domo judicii, quæ „ in civitate propria est, poscebatur. Si „ audiebant, dicebant ( nimirum causam suam ) sin minus, ad illum Ordinem ( nempe Judicum ) veniebant, „ qui in propinquiore civitate erat. qui „ si audiebant, dicebant apud eos; sin „ mi-

(b) *Deuter.* 25.

„ minus, ad illum Ordinem ibant, qui  
 „ in portis Domus Domini erant, dice-  
 „ bantque: *Sic exposui, & sic socii mei*  
 „ *exposuerunt: sic docui, & sic socii mei*  
 „ *docuerunt.* Qui si audiebant, dicebant  
 „ apud eos: *sin minus*, ad eum Ordi-  
 „ nem veniebant, qui in porta Atrii Do-  
 „ mus Domini erat, & dicebant: *sic expo-*  
 „ *sui, &c.* Qui si audiebant, dicebant  
 „ apud eos: *sin minus*, & isti & illi  
 „ ibant ad Consistorium Gazith, in quo  
 „ Sanhedrin a mane usque ad vesperam  
 „ sedebat. In Sabbatis autem, & diebus  
 „ festis solemnibus ( utpote Atrio Tem-  
 „ pli ob populi confluentis frequentiam  
 „ impedito ) sedebant in muro. „ Ita  
 Galatinus, (c) cujus verba, *sin minus*  
*audiebant*, intelligenda esse existimo, quan-  
 do causa proposita altioris Ordinis & in-  
 daginis erat, aut tam facile dirimi non  
 poterat: alias enim utique audire debe-  
 bant, & iudicium exercere, ne partibus  
 litigantibus unum post alterum tribunal  
 ( quorum successionem heic describit me-  
 moratus Auctor ) cum maximo incom-  
 modo, & forte gravi damno adeundum  
 fuisset. Eminebat inter civitatum iudicia  
 Hierosolymitanum: in hoc videre fuit se-  
 dentes in hæmicyclum viginti tres iudi-  
 ces,

(c) Apud Sigonium de republ. Hebræor.

ces, occupante medium locum Præsides, qui Princeps Senatus dicebatur, Vir spectatissimæ probitatis ac sapientiæ: hujus latus dextrum ac sinistram stipabant judices reliqui ordine sedentes suo. Sequebantur tres a secretis, quorum unus suffragia *absolventium*, alter *damnantium*, tertius utraque excipiebat ac promulgabat. Illustriorem reddidere confessum tres alii Ordines eorum, qui e tota Judæa, & aliis tribunalibus delecti inferiora occupabant subsellia, velut Candidati, ad hanc Judicum dignitatem & munus cum tempore assumendi.

At supremum tribunal omnium & numero, & præstantia Judicum, & negotiorum multitudine amplissimum celebratissimumque fuit *Consistorium Gazith*, de quo supra, *leu σὺνέδριον*, id est Cathedra, uti Græci vocabant, Latini Concilium, Hebræi Sanhedrin. De hujus antiquitate non modice variant Scriptores: Alii a Mosis usque tempore in deserto, alii in terra Chanaan a Judicum ævo, alii a Solyma & Templo condito, demum alii a Gabino Judææ sub Romanis Præsides illud deducunt. Thalmudici ut quam magnificentissimam de suo Sanhedrin ideam aliorum mentibus imprimerent, mul-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XIV. D ta

ta de eo commenta proferunt, omnem fidem excedentia. Verosimilius videtur, Concilium hoc primum in Silo Tribus Ephraim, ubi tabernaculum & in hoc Arca Dei aliquamdiu quievit; tum in Hierusalem Tribus Juda fuisse constitutum, eo consilio, ut tum causæ majoris momenti, tum quæ ab inferioribus civitatum tribunalibus ob sententiarum discordiam definiri non poterant, huc denique deferrentur, id quod disertis verbis indicat Josephus. „ Si vero Judices „ nesciunt de rebus ad se delatis pro- „ nunciare, integram causam in Urbem „ sanctam mittent, & convenientes Pon- „ tifex, & Propheta, & Senatus, quid „ visum sit, pronuncient. „ Neque hi solum, sed etiam postea Reges cum Principibus populi & LXX. Senioribus ac Scribis sive legis Doctoribus Concilium hoc intraverunt. Locus ei celebrando destinatus erat Aula Templi, dicta *Aula lapidibus strata*, itaque constructa, ut media pars intra Templi atrium, ubi Oratores stantes causas agebant, pars altera, ubi Patrum confessus, extra Templi ambitum contineretur. Tempus hujus Concilii nullis fuit circumscriptum limitibus: nulla die vacabat, si festa solemnia & sabbata excipiantur, quibus in *Antemu-  
ra-*

*vale* sive ad portam, per quam ad montem Templi ingressus patebat, transferebatur. Post Esdram tamen Templo instaurato secunda & quinta cujusvis septimanæ feria Concilio cogendo designata fuit. Conveniebant Patres Conscripti primo mane sacrificii matutini tempore, & sole ad occasum pergente discesserunt. nam causas agitare noctu nefas erat, quamvis liceret antea susceptas sub noctem finire. Ordo judicii hic servabatur: Qui crimen alterius ad Sanhedrin deferre constituit, is Regem, aut Pontificem, aut Principes adibat, nomen ac conditionem rei delaturus. quo facto illi Soterim cum lictoribus submittere, qui hominem in vincula darent, & si res postulabat, adjecere cohortem a Præfecto Templi acceptam. Sic ad se delatum carceri manciparunt, donec causa cognosceretur. Tum convocato universo Concilio, & reo in medium producto ab Accusatore crimen intentabatur, simul & pœna his verbis: *Judicium mortis est viro huic, quia hoc aut illud fecit.* Mox defensor constitutus reposuit: *judicium mortis non est viro huic, quia illud non fecit, aut juste fecit.* Perorata postmodum & ventilata causa Judices datis suffragiis majore eorundem numero vel con-

demnabant reum, vel absolvebant. nam absque hujus Concilii Sanhedrin sententia nulli, etiam nocenti, vitam eripere licuit, cujus rei insigne testimonium tempore Reipublicæ jam inclinantis præbet Josephus. (d) „ Herodes, inquit, Antipatri filius quosdam latrones sine Concilii sententia interfecerat, ac potentia sua terrorem omnibus inferebat. Quare multi Hircanum Regem, & populum hortati sunt, ut ipsum causam dicere in Concilio cogerent. Hyrcanus autem Herodem ad causam in Concilio dicendam adesse jussit. Ille vero in Concilium cum cohorte sua progressus adeo terruit omnes, ut nemo ad accusandum accedere auderet. Silentibus autem omnibus unus Sameas, vir justus, dixit: Viri ex Concilio, & Rex! credo neminem vidisse unquam similem huic aliquem in hoc Concilio consistentem. Nam qui huc accedere consueverunt, ut causam dicant, humiliter astare, & misericordiam a vobis poscere capillis promissis, & veste atrata soliti sunt. Hic vero de cæde causam dicturus adest purpuratus, & capite ornato, armisque stipatus, ut si condemnatus ex lege fuerit, nos morte afficiat;

(d) *Lib. 14.*

„ ciat ; ipse vero vi facta veritati eva-  
„ dat. Verum Herodem non accuso, si-  
„ quidem commodo suo, non legi con-  
„ suluit, sed vos, aut Regem, qui ei tan-  
„ tam licentiam tribuistis. Unum scito-  
„ te, maximum esse Deum. quare hic,  
„ quem nunc propter Hyrcanum dimit-  
„ tere vultis, quandoque vos & ipsum  
„ Regem torquet. Hyrcanus autem  
„ quum vidisset, iudices ad necem He-  
„ rodis propendentes, iudicium in poste-  
„ rum diem distulit, & clam monuit, ut  
„ urbe abiret. „ Ut vero totum de ju-  
„ diciis Hebræorum negotium brevi manu  
absolvam, tres Tribunalium ordines fue-  
re : primus in singulis vicis trium judi-  
cum, qui de multis pecuniariis & bonis  
mobilibus cognoscebant : alter in civita-  
tibus singulis viginti trium iudicum, qui  
de civium fortunis, litibus, pactis, cri-  
minibus minoris momenti, ac pœnis pro-  
nunciabant : tertius denique supremus,  
de quo egimus paullo ante, qui sedem  
habuit in Aula Templi, & in quo de  
maximis causis, & totius reipublicæ ne-  
gotiis, atque de capitis supplicio decer-  
nebatur.



*Religio Hebræorum.**Sacrificia.*

**V**eram religionem, verique Dei cultum cum hoc populo veluti natum ac educatum, in eo custoditum ac conservatum, perque illum fuisse propagatum etiam in mediis, quibus orbis terrarum profunde immerfus jacebat, idololatriæ tenebris, apud omnes in confesso est. Et quidni? quum tot signis & prodigiis, totque beneficiis, & mille ut ita dicam modis supremum Numen se suamque potentiam, præsentiam, justitiam, misericordiam, providentiam, aliasque perfectiones cognoscendas adorandasque velut sponte obtulerit, quin & Auctoris, Legislatoris, Doctorisque veræ religionis munus in se susceperit. Non raro quidem accidit, ut Hebræi vel diuturnæ peregrinationis tædio correpti, vel vicinarum gentium exemplo invitati, vel suorummet Regum impietate in præceptis acti ad idola deflecterent: ad Beelphegor & Camos Moabitarum, ad Dagon, Astaroth, Beel-Sebub Philistæorum, &c. non

tamen aut majoris meliorisve populi partibus, aut longioris moræ fuit ea superstitionis lues, sed aut pœnitentia ducti, aut gravissime castigati ad Deum suum, ejusque cultum & avitam religionem reversi sunt. Nulla autem religio est sine sacerdotibus, sine aris & focis, sine victimis & Sacerdotibus. Itaque de his, qua ratione apud Hebræos constituta fuerint, nunc agendum. Sacrificiorum vetustas tanta est, quanta ipsius mundi. Quippe Adam, ejusque filios, Noemum, ac illius posteros, Abrahamum cum familia sua, Jacobum & Melchisedech veris Deum sacrificiis coluisse pluribus prodit S. Scriptura testimoniis. Sed nondum primis illis temporibus certæ victimæ, numerus, locus, mystæ, ritus, aliaque ordinata fuerunt: seligebantur res offerendæ pro arbitrio vel e terræ frugibus, vel e pecorum fœtibus: herbarum, segetum, & florum manipuli: frumentum, adeps, lac, oves, aliorumque animalium sanguis. Sacerdos is ipse, qui sacrificii materiem subministravit, nisi quod in solemnioribus ac publicis sacris honos iste familiarum aut urbium Principibus, vel Senioribus fuerit delatus. In his autem sacrificiis censent nonnulli scriptores, frequenter ignem non humanis manibus excitatum,

sed a cœlo ad concremandas hostias subministratum fuisse, cujus rei exempla non pauca in SS. Literisprehendere licet, quemadmodum in sacrificio oblato ea die, qua Aaron Sacerdotis summi dignitate inauguratus fuit: in sacrificio Gedeonis, in Salomonis sacrificio, dum templum dedicavit: in sacrificio Eliæ in monte Carmelo, in sacrificio Machabæi, dum templum ab Antiocho Epiphane profanatum expiavit. Et sane Patres plerique (e) ubi de sacrificio Abelis & Caini agunt, opinantur ignem de cœlo lapsum munera ab Abel oblata absumsisse, reliquisse vero intacta illa, quæ Cain obtulit. Humanarum victimarum gemina in populo Dei electo exempla reperimus: unum in Abrahamo, dum Dei jussu ad Isaacum filium suum immolandum pro-na voluntate sese accinxit, immolaturus etiam, nisi prohibuisset idem, qui mandavit. Alterum in Jephthe Israelis Judice, qui dum contra Ammonitas cum exercitu egressus voto se obstrinxit, oblaturum se, qui e domo sua primus sibi occurrisset, occurrentem ita filiam, virginem & puellam, re ipsa holocaustum obtu-

(e) S. Cyrillus, S. Ephrem, S. Chrysostomus, aliique apud Calmet.

tulit Domino : (f) de cujus tamen voti religione varia est Patrum & Doctorem sententia. Cætera gravissime a Deo prohibitum legimus Hebræis, humanas victimas more gentium immolare. Illud certum, primo mortalium ævo in offerendis sacrificiis quemque secutum esse pios animi motus, a cælo vel pietate sua, & Numinis reverentia sibi immixtos, religionemque, quantum ad ritus & ceremonias, locum & tempus, veluti vagam fuisse. Ubi autem Lex per Moysen a Deo lata fuit, certa quoque sacrificiis forma est inducenda, ut ex sequentibus mox patebit.

XII.

*Varia Sacrificiorum genera.*

*Holocaustum* præcipuum & antiquissimum erat, cujus discrimen a reliquis, vox ipsa græca *Holocauston*, ab ὅλος *totus* & καίω *accendo* derivata indicat. Nam in hoc sacrificio tota hostia, quæ offerebatur, igne penitus absumta fuit, quum in reliquis certa portio una cum libaminibus sacerdoti cederet velut in laboris præmium. Ritum, quo sacrificii

ge-

(f) *Judic. ix.*

genus istud peragi debebat, præscripsit Deus in Levitico: (g) Philo autem Hebræus his verbis explicat. „Ante omnia „seligatur mascula victima ex animalibus „puris ad sacrificium, juvencus, & agnus, „aut hœdus. Hanc qui offert, ablutas „manus imponat ejus capiti. Tum ali- „quis Sacerdos accipiat eam; mox alius „sanguinem ejus exceptum phiala fun- „dat per altaris circuitum, detractoque „tergore victimæ artus in frustra concidi- „dantur, & ablutis intestinis ac pedibus „tota victima igni altaris tradatur, con- „jectis rursus in unum partibus, quæ „modo dissectæ fuerunt. „Holocausti sic descripti altare, supra quod offerendum erat, ex lignis Sethim fabricata, æreisque laminis obducta areæ quadratæ similitudinem referebat prominentibus e quatuor angulis totidem cornibus aeneis: ventrem cavum altaris crates ænea implevit catenis suspensa, sustinendo igni ac victimæ, cineribusque relictis in fundum transmittendis apta. Ignis autem is ipse fuerat, qui Aarone sacris initiato e cælo delapsus hostias corripuit, (h) & a Sacerdotibus perpetuo nutriri debuit, subjiciendo ligna mane sigulis diebus, ita ut nunquam in altari deficeret:

nec

(g) C. i. § 6.

(h) Levit. 9.

nec re ipsa defecit ad usque tempus illud, quo ab aris & focis in captivitatem babilonicam hebræa gens abstracta fuit.

*Libamen* erat placentæ genus quoddam, quod ex simila, seu farina mundissima fermento infecta, oleoque affuso, quin & thure conspersa conficiebatur, & vel in clibano, vel sartagine, vel craticula coctum offerebatur ita, ut pars una sacro igne absumta, altera vero Sacerdoti tanquam operæ navatæ merces relicta fuerit. Modus offerendi erat, quam lex præscripsit: (i) *Anima quum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus, & deferet ad filios Aaron Sacerdotis, quorum unus tollet pugillum plenum simila, & olei, & totum thus, & ponat memoriale super altare in odorem suavissimum Domino; quod autem reliquum erit de sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.* Non autem fas erat Sacerdotibus partem relictam domum deferre, sed intra templi parietes comedere necessum fuit: *Reliquam autem partem simila comedet Aaron*  
CUM

(i) *Levit. 2.*

*cum filiis suis absque fermento, & comedet in loco Sanctuarii Tabernaculi. (k)*

Tertium genus sacrificii fuit *Pacificum*, vel ut aliis in locis S. Scriptura vocat, *Victima Pacifica, Hostia Pacificorum, salutaris hostia*. Origene teste (l) duplex erat: unum voti, alterum laudis. Prius ad impetrandam a Deo gratiam pacis & salutis seu publicæ seu privatæ: posterior ea impetrata ad Deum laudandum, ac beneficium acceptum grato animo recolendum instituebatur. Victimam igitur huic sacrificio destinata (de cujus conditione, sexu vel ætate nihil fuit præscriptum: solummodo nulla labe infectam esse oportuit) ante fores Tabernaculi stangebatur, & imposita manu initiata ab eo, qui obtulit, jugulabatur. Tum cruore circa holocausti altare sparso adipem, renes, jecur, & quidquid pinguedinis intestina obtegebat, quin etiam caudam arietis aut agni (si hujus generis hostia fuerit) a reliquis carnibus & ossibus sejuncta Sacerdos imposuit offerentis manibus, & ad quatuor mundi plagas circumductis denique hostiam sacro igni devorandam tradidit: ipse autem Sacerdos pectusculum & armum dextrum sibi vendi-

(k) *Levit. 6.*(l) *Homil. 5.*

dicavit: reliquum vero offerens domum referebat, cum familia sua vel amicis absumendum; ea tamen lege, ut nil ultra diem secundam superstes foret, dicente Scriptura: (m) *Si voto vel sponte quis obtulerit hostiam, eadem similiter comedetur die. Sed si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumat. Si quis de carnibus victimæ Pacificorum die tertia comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quin potius quæcunque anima tali edulio se contaminaverit, prævaricationis rea erit.*

Ad sacrificium pro peccatis quod adinet, hoc erat omnibus ita commune, ut nec Principes populi, nec Sacerdotes exciperentur, si forte crimen aliquod, & maculam legibus statutam ignorantes contraxissent. Ritus in hoc sacrificio fere iidem observabantur, sive pro Sacerdote, sive pro Principe, sive pro populo, aut pro opulentis, aut pro pauperibus offerretur. Hostiarum duntaxat diversitas fuit. Itaque Sacerdos summus vitulum maculæ omnis expertem præ foribus tabernaculi statuebat, manuque illius cervici superposita peccatum suum, quod  
im-

(m) *Levit. 7. 30. &c.*



imprudens commisit, publice professus, veniamque rogans victimam cultro in collum adacto jugulavit: tum profluentem cruorem viala excipiens tabernaculo intulit, & digitis in sanguine tinctis septies eum contra Tabernaculi velum expansum adpersit: reliquum vero, postquam thymiamatis aram guttis aliquibus linivit, ad altaris holocausti basim effudit: vituli vero adipem sacris ignibus in holocausti ara cremandum tradidit, reliquis partibus (pelle, pedibus, intestinis) extra castra portatis, ac in cineres ibidem redactis. (n) Populi Princeps hircum pro peccato immolare jussus est: Populus ipse vitulum: Vulgus ovem aut capram: Pauperes his victimis comparandis impares duos turtures, aut duos pullos columbarum: quorum inopia neque his hostiis exhibendis sufficeret, farinæ modicam portionem absque oleo ac thure substituere poterant, cujus pars sacris flammis, reliqua Sacerdoti cessit.

*Sacrificium pro delictis*, quod quintum est, a priori distinguebatur, quum isto peccata, quæ a volente ac sciente perpetrata: illo autem, quæ ab ignorantibus commissa sunt, fuerint expiata.

Si

(n) *Levit. 4. & 5.*

*Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit.*

(o) Hostia vero huic sacrificio destinata aries fuit de grege, nulla sui parte macula conspersus, cujus sanguinem per gyrum altaris fundi oportebat, caudam vero, & adipem flammis absumi, carnibus Sacerdoti ad vescendum relictis. Cætera singularem hoc loco de delictis præcipuis mentionem faciunt SS. Literæ:

(o) *Anima inquit quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenit, & inficiens insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines; convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra & quintam insuper partem Domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti juxta æstimationem, mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit.*

XIII.

(o) Levit. 7.

(p) Levit. 6.

## XIII.

*Oblationes, Primitivæ, Decimæ, aliaque.*

Sacrificiis ita descriptis adnectere oportet velut appendicem ea, quæ his affinia Hebræo populo in sacris Literis vel præscripta, vel sponte ab eo suscepta leguntur. Primum locum obtinent *Oblationes*, quæ in Templo erant admodum familiares, in gratiam præsertim egenorum destinatæ, scilicet oblationes frumenti, similitæ, panis, placentarum, fructuum, vini, salis, olei: hæ non raro seorsum fiebant, sæpe etiam ipsis quoque sacrificiis reliquis additæ fuerunt. Nulla certa in his quantitas erat præscripta, sed a religione ac liberalitate offerentis pendeat. Sacerdos vero, quem ordo ministrandi tangebatur, eas ex offerentis manu suscipiens, illarum portione injecta aræ, reliqua sibi reservavit, & quidem jure Sacerdotis tanquam ministri Domini, si thus excipias, quod totum sacro igni devotum erat. At *oblatio incensæ* quotidiana in Altari thymiamatis præcepta fuit his verbis: (q) *Candelabrum stabit cum lucernis suis, & altare aureum,*

(q) *Exodi 40.*

veum, in quo adoletur incensum coram Arca testimonii. (r) Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans mane; quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocabit eas ad vesperam, uret thymiamam sempiternum coram Domino in generationes vestras. Thymiamam hoc qua ratione compositum fuerit, exponit S. Scriptura eodem in loco: Dixitque Dominus ad Moysen: sume tibi aromata, stactem, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis omnia, faciesque thymiamam compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum; cumque in tenuissimum pulverem omnia converteris, pones eos coram tabernaculo Testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis thymiamam. Res hæc erat adeo sacra & religiosa Hebræis, ut eam in usus privatos convertere crimen esse capite luendum.

Secundo loco memorandæ veniunt *Primitiæ*. Harum nomine comprehendebatur, quidquid primum sive ex hominibus, sive ex animalibus, sive ex semine telluris ortum fuit: omnia hæc apud He:

(r) Exodi C. 30.

Hebræos Deo consecrata fuerunt in signum majestatis divinæ ac supremi totam in gentem, resque illius cunctas dominatus. Itaque primitiæ tum ex fructibus agrorum, tum ex animantibus, quod primum erat, persolvendæ fuerunt: infantes vero natu majores Domino quidem offerri oportuit in templo, sed parentes pretio quinque siclorum eos velut litro oblato suum quisque redimebant. Multiplex autem primitiarum circa fruges genus erat: Primum totius populi nomine oblatum manipulus hordei, qui antequam collectæ messis usus concedebatur, sub vesperam diei decimæ quintæ Mensis Nisan (apud nos Martii) in atrium templi deferebatur, ubi excussis contritisque granis præparatum frumentum a Sacerdote ad quatuor mundi plagas converso obatum fuit, ejus pugillo in sacrum ignem injecto: reliquum sibi retinebat: atque his peractis cuilibet messem suos in usus convertere licuit. Alterum genus primitiarum, singulis ut redderent præscriptarum, nec certum tempus, nec quantitatem certam lege injunctam habebat: res tamen solemnitate non caruit. Scriptores Judæi fide digni hanc ita nobis narrant: (s) Quum tempus  
 offe-

(s) *Apud Calmet.*

offerendi advenit, viginti quatuor hominum agmen processit, quod bos olearum foliis redimitus, & cornibus auro fulgentibus superbiens antecedebat, sacrificio destinatus, comitante tibicine. Tum sequebantur reliqui canistris onusti, quibus suas detulere primitias inter festivos cantus. Venientem turbam excepere cives ex urbe effusi, totamque pompam per montem ad templum deducebant. Ubi ad atrium Sacerdotum perventum est, Levitæ intonabant verba psalmi vigesimi noni: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, &c.* Qui vero primitias detulit, mox verba e Deuteronomio (t) reddidit: *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terra, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* Demum Sacerdos sublato canistro orationem profecutus ad altaris latera illud deposuit, pronusque salutavit. Rursum aliæ primitiæ fuerunt, quarum meminit Liber Numerorum. (u) Quoties enim panis ad usum familiæ pinsebatur, farinæ portio reponenda fuit, Sacerdoti vel Levitæ, qui eandem incolebat urbem, subministranda.

Ter-

(t) C. 26.

(u) C. 15.

Tertium locum sibi vendicant Decimæ, quas solvendi consuetudo jam ante legem Mosaicam celebratur in S. Scriptura, in qua legitur Abraham devictis hostibus occurrenti Melchisedech Regi Salem, simulque Sacerdoti ex omnibus spoliis decimas obtulisse: (x) & Jacob cunctorum, quæ ex Mesopotamia secum allaturus esset, decimas Deo persoluturum se vovisse. (y) At lege constituta variæ decimæ ab Hebræis erant reddendæ. Primo quidem a populo decimæ Levitis solvendæ fuerunt, qui tamen his ipsis uti antea non poterant, quam ex iisdem decimas Sacerdotibus obtulissent. Utrumque patet e libro Numerorum (z) *Præcipe Levitis atque denuncia; cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ.* Porro decimam partem separare jubebatur unusquisque de populo Israel e cunctis fructibus, qui nascuntur in annos singulos, (a) eo fine ut Hierosolymam transferret secum ad Templum Domini, ibique in vestibulo invitatis ad epulas Levitis comederet: *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua, &*

Le-

(x) Gen. 14.

(y) Genes. 28.

(z) C. 18.

(a) Deuteron. 14

*Levita, qui intra portas tuas est. Quod si via longior fuisset, nec decima commode transferri posset, vendenda erat, & in pretium redigenda, illudque offerendum. Denique tertio quoque anno seponenda fuit decima pro Levitis, peregrinis, & pauperibus, uti præcepit Moyses: (b) Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui juxta portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus.*

Quartus locus sacræ pecuniæ ac Gazophilacio tribuendus est. Pecuniæ sacræ nomine venit siclus, (de hujus valore dixi in libro de re numaria) cujus dimidiam partem velut pretium pro animabus suis pendere debebant Hebræi ad usum tabernaculi, quando scilicet populus in censum veniebat. ita Exodi. (c) *Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc*  
au-

(b) Deuteron. 14.

(c) C. 30.



autem dabit omnis, qui transit ad numerum; dimidium sicii juxta mensuram templi . . . susceptamque pecuniam, quæ collecta est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi Testimonii, ut fit monumentum eorum coram Domino, Et propitiatur animabus eorum. Hunc quasi sacrum tributum Sacerdotes constructo etiam templo Solymæo diligenter multis annis exigebant. Verum postea longiori tempore intermissum, quum instaurandum esset templum, nec pecunia suppeteret, Joas Rex denuo solvi ab omnibus jussit, erecta ad templi fores ara, quam Græci ac Persæ *Gazophilacium*, Syri *Corbonam*, Romani *Ærarium* dixerunt. In hanc templum ingredienti pecuniam memoratam conferre debebant. unde apud D. Marcum (d) *Sedens JESUS contra Gazophilacium aspiciebat, quomodo turba jactaret æs in gazophilacium.* Sed nomen istud non solum arce huic, sed etiam aliis templi locis ac cellis tribuebatur, in quibus annona pro sacerdotibus, pretiosa munera a Regibus, devotisque personis oblata, quæque ad sacrificia destinabantur, recondita servataque fuerunt, præposito illis custode, seu Quæstore templi.

XIV.

(d) C. 12.

## XIV.

*Summus Pontifex, & Sacerdotes.*

Multiplex heic sacrarum personarum genus occurrit: primum quidem earum, quæ ad divinum ministerium solemniter fuerunt inauguratæ, uti Pontifices, Sacerdotes, & Levitæ, tum quæ sacris rite ac decenter peragendis serviebant, uti Cantores, Janitores, & Nathanæi, tum quæ licet sacra non attigerint, se tamen vel Deo consecrarunt, aut Numinis Interpretes erant, aut Dei legem exposuere, quemadmodum Nazaræi, Prophetæ, ac Scribæ.

*Pontifices* & exteriore corporis habitu, & officii sui dignitate ex aliorum Sacerdotum numero quasi toto humero eminebant. Ad vestitum quod adinet majestate plenum, juvat singulas ejus partes ordine naturali breviter describere. Primo *femoralia* seu *feminalia*, ut vocat S. Scriptura, ex lino tenui confecta a renibus ad femora tegenda defluebant: hæc excepit tunica linea, elegantioris texturæ, quæ strictis manicis tam arcte corpori adhæsit, ut nulla omnino in veste ruga esset, descenditque usque ad crura. Huic superaddita erat alia tu-

nica talaris hyacinthina, in cuius extrema parte ad pedes demissa duo & septuaginta tintinnabula ( ut Josephus tradit ) aurea, totidemque intermixta mala punica e bracteis aureis elaborata fuerunt suspensa, ut audiat sonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini. (e) Has vestes fluentes continebat baltheus, seu zona vel cingulum, polymita arte distinctum, diversosque flores ac gemmas referens; hoc quatuor digitos latum tunicas reliquas umbilicum inter & pectus stringebat. Sequebatur Ephod seu *Superhumeralis*, ex hyacintho, crocco, bysso, purpura & auro contextum, quod ubi humeros tegebat, ex utraque parte duo lapides onychini auro conclusi emicuerunt, quibus insculpta fuerunt nomina filiorum Israel, seu duodecim Tribuum, sena in uno, & totidem in altero, ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum nomina populi, pro quo rogaturus erat Dominum, in humeris suis portaret. Ubi vero eadem zona in pectore decussabatur, *Pectorale* seu *Rationale* videre fuit, quadratae figurae, ac magnitudine palmum æquans. Hoc erat pannus brevis auro intextus, & quatuor tinctus coloribus,

iis-

(e) *Exodi* 28.

jisdem scilicet, quibus *Superbumerale*, cui quatuor annulis aureis fuit connexus. in eo resplendebant duodecim lapides miræ magnitudinis in quatuor ordines distributi: primus ordo Sardium, Topazium, Smaragdum: alter Carbunculum, Saphirum, Jaspidem: Tertius Ligurium seu Lyncurium, Acatem, & Amethystum: quartus Chrysolithum, Onychinum, & Perillum continebat. Pretiosis his lapidibus duodecim tribuum nomina, singula singulis, secundum ætates suas Samaritanis literis insculpta legebantur. At caput Pontificis tegebat tiara seu pileolus e bysso, rotundus absque tamen acumine, aureis parergis distinctus, cujus partem anteriorem cingebat lamina aurea, in frontem Sacerdotis adsurgens, exhibensque literas: *Sanctum Domino*. Ne vero lapsui obnoxia foret hæc lamina, duabus vittis in occipite sibi occurrentibus vinciebatur.

Atque hic vestitus erat summi Sacerdotis, profecto splendidissimus, quo inter omnes, & ab omnibus discernebatur. Duo tamen adjungere fas erit e Josepho (f) aliisque Scriptoribus: primum est de

(f) *Antiq. L. 3. C. 9.*

de *Urim & Thummim*, quibus duabus vocibus S. Hieronymus *doctrinam & veritatem* significari docet. Hos autem fuisse ipsos *Rationalis* lapides contendit idem Josephus, fulgorem insolitum vibrantes, si Numen consultum futurarum rerum eventus monstrare vellet. Verba sunt Josephi: „ Lapidés quos ferebat „ super humerum Pontifex, erant Sardoniches. Cum autem Deus sacrificiis „ adesset, is qui in dextero humero portabatur, micabat & splendorem tantum „ emittebat, ut etiam procul positus illucesceret, cum prius ea luce careret. „ Per duodecim autem lapides *Rationalis* „ *lis* victoriam pugnaturis prænunciabat. „ Tanto enim splendore fulgebant, cum „ nondum exercitus moveretur, ut omnibus constaret, eorum auxilio adesse „ Deum. Cessavit autem *Rationale & Sardonix* annis jam ducentis, antequam „ ego hæc describerem, ( *atque adeo 110. vel 12. ante Christum natum. nam lucem aspexit Josephus anno 37. regnante Caligula.* ) cum Deus moleste ferret transgressiones legis. „ Alterum est, quod de pileolo Pontificis idem prodit: „ Præter communem, inquit, cum „ Sacerdotibus pileum Pontifex alterum „ pileum habuit consutum, ex hyacintho

„ variatum, quem corona aurea circum-  
„ dedit, quæ tribus ordinibus distincta  
„ fuit: supra quam in medio floruit ca-  
„ lyx aureus herbæ, quæ a Græcis dici-  
„ tur hyosciamos, similis. „

Pontificis sic descripti hucusque potestas & officium fuit: primo quidem, Caput religionis, & juris ac judiciorum Administer supremus est constitutus (g) *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicium intra portas tuas videris verba variari: surge, veniensque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore* (scilicet ad summum Sacerdotem teste Josepho, Philone, & Interpretibus aliis) *quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem.* Dein præcipua Tabernaculi, postea Templi cura ipsi incubuit. Quippe Tabernaculum quotidie ingredi ad lucernas concinnandas, in *Sanctuario* autem incensum ad altare thymiamatis adolere: singulis septimanis panes *Propositionis* conficere, ac festis diebus populi sacrificia una cum Sacerdotibus offerre oportebat: semel vero in anno, festo *Ex-*  
*pi-*

(g) *Deuter. 17.*

*pintionum*, sacris vestibibus indutus solus *Sanctuarium* ipsum intrare, atque una cum altari thymiamatis a peccatis & noxiis illud expiare, simul pro se, familia sua, & pro universo cœtu Israel, interea jejunante, preces fundere jubebatur. Deum gravioribus in negotiis a populo interrogatus prælucente Urim & Thummim coram Arca Fœderis Numen consultuit, & de rebus arcanis ac futuris Dei spiritu afflatus oracula edidit. Ut autem ad tanti muneris (nempe Pontificis) fastigium eveheretur, has in eodet lex requisivit: (h) *Pontifex super cuius caput fustum est unctiois oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibibus, non erit mancus, debilis, cæcus, claudus, habens maculam, albuginem, aut ejusmodi alia vitia corporis.* Hanc porro dignitatem in sacris omnium maximam adepti sunt Aaron, & qui ab eo per continuam successionem descenderunt, octoginta & unus usque ad Phanniam seu Phanassum, sub quo Jerosolyma a Tito capta & incensa: Sacerdotium vero & sacrificia Hebræorum abrogata fuere.

XV.

(h) *Levit. 21.*

## XV.

Jam ad reliquos Sacerdotes & Ministros, quorum ingens copia fuit, ut scilicet non solum incolis Solymæis, sed ex omni tribu & regione eo confluentibus omni tempore præsto essent in sacris ob-eundis. Eorum vestitus, quantum ad-tinet ad femoralia, tunicam lineam, cin-gulum & pileolum simplex, communis erat cum Pontifice, cujus reliquis orna-mentis hi caruere. Extra ordinem ta-men quandoque *superbumerali* seu Ephod utebantur, hoc discrimine, quod lineum esset, non auro, purpura & bysso distin-ctum, quale fuit Pontificis. Hi Sacer-dotes ut ait Josephus (i) ad altare tem-plumque accedebant carentes omni vi-tio, veste amicti byssina, maxime autem mero abstinentes, ac sobrii religionis me-tu, ne quid rem divinam faciendo pec-carent. Eorum officia fuerunt: alia quæ ad Tabernaculi vel templi ministerium pertinebant, ut ignem in altari holocaustorum perpetuo conservare, lampadum aliorumque sacrorum vasorum curam ha-bere: panes *Propositionis* confectos au-reæ mensæ calentes imponere, sacrificia in altari suis manibus offerre: jugulare

vi-

(i) L. 6. Bell. Judaicæ.



victimas, & pellem detrahere pecoribus, sanguine ad altaris basim effuso: Arcam fœderis ad castra & aciem deferre humeris suis, sacrisque buccinis clangere, &c. Alia, quæ ad obsequia populo præstanda spectabant: ut instituere illum in præceptis & ceremoniis, judicare circa lepram, in causis divortii, de votis atque Legalibus, Dei nomine populo benedicere, &c. Cætera primi Sacerdotes fuere quatuor Aaronis filii Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar, a quorum postremorum progenie, atque ita e tribu Levi defenderunt reliqui omnes. David Rex eos in viginti quatuor classes secundum familias sorte divisit, ne scilicet cuncti Sacerdotes quotidie ministeriis sacris occuparentur, sed diviso inter classes labore singulis hebdomadibus singulæ operam navarent, quibus etiam Sacerdotes aliquot insigniores præfecit, qui communi nomine cum summo Sacerdote Principes Sacerdotum, & Pontifices adpellabantur.

## XVI.

*Levitæ, Cantores, &c.*

Sacerdotes excipiunt *Levitæ*. Equidem omnes, qui e tribu Levi originem duxere, atque ita ipsi Sacerdotes & Pon-

tifices re ipsa Levitæ fuerant; at proprio Levitarum nomine illi veniebant, qui ex hac stirpe inferioribus Tabernaculi vel Templi ministeriis adhibiti sunt, non sine ritu quodam solemni. Nam aqua lustrati, expiatique a maculis, raso toto corpore, lotisque vestibus ante fores Tabernaculi palam sistebantur: tum vitulis duobus in holocaustum oblatis ad summum Sacerdotem perducti fuerunt, qui ad quatuor mundi plagas illos convertens, modiceque e solo sublevans consuetis fungi misteriiis jubebat, hacque ratione in conspectu omnis populi initiabat. Duplex autem illorum ordo fuit, unus a Mose, alter a Davide institutus: munus vero utriusque multiplex. Prioris generis Levitis cura Tabernaculi concredita erat, & vasorum, instrumentorum, ac Fœderis Arcæ, ut e loco in locum deferrent, custodirent, & Sacerdotibus ministrarent. ita in libro Numerorum: (k) *Per gyrum tabernaculi metabuntur; cum proficiscendum erit, deponent Levitæ tabernaculum; cum castra metanda, erigent.* Portare autem debebant arcam, velum, mensam, cortinam, tectum tabernaculi, tentorium, funes, vasa, tabulas, vectes, columnas, bases, totam-

(k) *Cap. I.*

tamque supellectilem sacram. Posteriorum vero, quos David constituit, postquam Arca Dei stabilem in Templo Solymano sedem obtinuit, officium erat tum præ foribus templi adistere, & custodias agere, tum cætera ad sacrificium necessaria Sacerdotibus ministrare, quorum arbitrio plene subiecti fuere. Distribuit autem illos David in varias classes, Ministrorum, Cantorum, Janitorum, Scribarum & Judicum. Ministri numerabantur 2400. Cantores 4000. Janitores 4000. Scribæ & Judices 6000. (1) Multitudo hæc alebatur non modo ex fructuum, sed & pecorum decimis, ab universo Israele solutis: quando autem in Templo ministeria sua obibant, ex iis quoque, quæ singulis diebus offerebantur. Habitationi adsignatæ fuerunt quadraginta octo urbes una cum agris, hortis, & pascuis adjacentibus: in corporis habitu tamen & vestimentis nihil a reliquis Hebræis diversum habebant.

*Cantores ex Levitarum stirpe selecti consistebantur, & canebant in organis Domini. Instrumenta musice diversæ sortis erant: tubæ, cymbala, psalteria, citharæ, & quæ proprio nomine dicebantur*

or:

(1) *x. Paralip. 23.*

organa. Vorum vero cantui materiem præbebant hymni sacri, quos David, Afaph, Idithun, & Heman composuere. Univerſus Muſicorum chorus circa holocauſtorum altare in tres ſeries diuiſus ſtabat: Caathitæ mediam, Meraritæ ſiniſtram, dexteram Gerſonitæ occuparunt, qui omnes muſicæ artis peritiſſimi fuerunt, utpote qui totum vitæ tempus qua voce qua instrumentis canendo impendebant. Illuſtre ſpecimen muſici hujus concentus exhibet S. Scriptura regnante Salomone (m) *Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diverſi generis muſicorum concinnentibus, & vocem in ſublime tollentibus longe ſonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cepiſſent, & dicere: Conſitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus, impleretur domus Dei nube, nec poſſent Sacerdotes Dei ſtare, & miniſtrare propter caliginem.*

*Janitores miniſtri fuerunt ex tribu Levi, qui ad januas Templi excubias egerunt diu noctuque, & ſacras arcuſas atque theſauros mutatis vicibus cuſtodiebant,*

(m) 2. Paratip. 7.

bant, ita ut munus illorum quasi militare fuerit, & instar Prætorianæ cohortis templo adstiterint. Eorum duces portis ad quatuor mundi plagas sitis præerant : & *bis quatuor Levitis creditus erat omnis numerus Janitorum ; per gyrum templi morabantur iu custodiis suis, ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.* (n) inter alias quoque curas illorum fuit, ne cuiquam contaminato aditus in templum pateret.

Uti autem Levitæ Sacerdotibus , ita crescente in dies & profana & sacra Hebræorum republica Levitis in partem ministerii dati sunt *Nathinæi*, vilioribus ad dicti obsequiis. Temporibus Josue Gabaonitæ functi sunt hoc munere : tum Chananæi in servitutem redacti : demum *Nathinæi*, quos dederat David, & *Principes ad ministeria Levitarum.* (o) Atque hos servos & mancipia fuisse, a David Rege templo donata plerique existimant, quemadmodum vile, quod a prima sui institutione exercebant, ministerium satis declarat, de quo (p) legimus : *Liberavit Josue Gabaonitas de manu filiorum Israel, ut non occiderentur, decrevitque in illo*

(n) I. Paralip. 9. (o) I. Esdra C. 8

(p) Josue C. 9.

*illo die, eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco quem elegisset Dominus.*

XVII.

*Nazaræi, Prophetæ, & Scribæ.*

Enumeratis Ministrorum Templi classibus dicendum modo de illis, qui divino cultui aliis titulis erant obstricti. Ac primum quidem Nazaræi Hebræos inter fuerunt homines singulari pietate conspicui, qui postquam primitias ac decimas rerum omnium ex præscripto legis obtulerunt, non inuenientes amplius, in quo pietatem exercerent, se ipsos Deo devoverunt. Votum hoc *Magnum* fuit nuncupatum: *nihil enim, inquit Philo, quisquam possidet se ipso pretiosius, qua possessione tunc ceditur.* Voti autem istius rei vino omnique potu ad ebrietatem serviente abstinere debebant, capillos nunquam tondere, nullius interesse funeri, ne quidem patris, matris, fratris aut sororis, & si forte quis coram illis mortem oppetiisset, consecrationis primæ ceremonias repetere. Nullum vero certum religionis hujus tempus erat constitutum. Plerumque ad dies octo, aliquando ad mensem, quan-

doque ad totum vitæ tempus extrahebatur, ut de Samfone, Samuele, & S. Joanne Baptista constat; ac de Jacobo Justo, Domini fratre, cum Epiphanio & Eusebio Hegesippus tradit apud Clementem Alexandrinum, dicens: *Ex utero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, sed neque animal manducavit: ferrum in caput ejus non ascendit.* Singularis erat ritus, quando completis voti diebus eodem solvebatur Nazaræus. Nam a Sacerdote ad ostium tabernaculi deductus agnum, ovem, & arietem offerre jubebatur, illum in holocaustum, istam pro peccato, hunc in salutis hostiam, una cum pane & vino: ubi hæc rite immolata fuerunt, Sacerdos vel alius Nazaræi caput radebat ante fores tabernaculi, crinesque sacro igni devorandos tradidit, quibus aliisque peractis ceremoniis liber a voto dimissus est, & Nazaræus esse desiit.

Præterea inter homines Deo devotos vel maxime recenseri merentur, quos spiritu Dei plenos, & numine cœlesti afflutos primum *Videntes* seu futura prospicientes, dein Prophetas dixere Hebræi. *Venite & eamus ad Videntem.* Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim *Videns*. (q) Pretiosum hoc cœli do-

(q) 1. Reg. C. 9.

donum & prærogativa in electo Dei populo nunquam non viguit. Genealogia Prophetarum hæc est: Ut nihil dicam de Adamo ac Noe, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum multa vaticinia edidisse in S. Scriptura legimus: eminebat tamen inter omnes reliquos Moses: *Et non surrexit ultra Propbeta in Israel, sicut Moses.* (r) Hujus postea spiritum propheticum velut magnum flumen in rivos divisit Deus, dum eum ad LXX. Seniores Israel transtulit: *auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta Viris. cumque requievisset in eis Spiritus, prophetarunt, nec ultra cessarunt.* (s) Post hos surrexit Debora Prophetis, & Samuel, quo velut patre ac magistro integrum Prophetarum agmen prodiit, uti legitur in libro primo Regum. (t) Nunquam autem plures visi sunt, quam post Eliam & Elisæum ad captivitatem usque babylonicam. Hi vitam ducebant separati ab humano consortio, & patrum suorum Eliæ ac Elisæi exemplo ut plurimum in montibus habitabant, præsertim in Carmelo & Galgala, circa quorum fines centum facile Prophetæ tum

(r) Deuter. 34.

(s) Numer. II.

(t) C. 10. & 19.



temporis numerabantur. Vestis eorum erat sacco seu *cilicium* cum cingulo: paupertas summa: victus labore manuum comparatus: interea jugi legis divinæ meditationi fuere intenti, orationibus, ac virtutum studio. Hi multa revelabant abscondita, præcipue de Ecclesia militante, de adventu Messiæ, ejusque regno. Sæpius e solitudine sua egressi ad populum instruendum, congregabant illum Sabbatis & festis diebus: increpabant libere scelera, ut ne Regibus quidem parcerent, & venturas calamitates prædicebant, Deo ipsis tanquam iræ suæ fecialibus utente. Neque defuerunt Prophetæ sub ipsa servitute babylo-nica, quemadmodum Jeremias, Ezechiel, Abdias, Daniel; immo nec post illam usque ad Malachiam, a quo postmodum usque ad Joannem Baptistam, quem prior surrecturum prædixerat, nullus magni nominis Propheta in populo Hæbræorum est inventus. Prophetandi ratio duplex in S. Scriptura occurrit. Prima fuit per oraculum, quum scilicet populus de graviore negotio Deum consulere cupiebat. Tum enim Pontifices ac Duces ad *Propitiatorium* Aræ fœderis accedebant, sacrificiis Deum honorantes. Nec defuit propitium Numen: respondit per Mosen,

Jo-

Josue, Samuelem, &c. qui mente cœlesti lumine illustrata, excitataque voluntate, quæ spiritus Dei suggesserat, palam edixere. Altera fuit, quando Deus extra oraculum consultus, vel sponte sua nunc per Prophetas, nunc per Sacerdotes, nunc per somnia voluntatis suæ arcana prodidit. Satis clare hoc nobis innuit Scriptura, dum de Saule Philistæorum castra expavescente dicit: *Consultuit Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* (u) Atque ex his patet, Deum variis modis in veteri Lege aut futura significasse, aut abdita revelasse; nimirum vel conceptis verbis, sicut Mose in rubo ardente, & in monte Sinai: vel per oraculum, ut Aarone, & Sacerdotibus: vel per quietem, & nocturnas quas vocant visiones, uti Jacobo, Salomoni, aliisque Prophetis: vel etiam certis imaginibus absque sensuum adminiculo objectis, ut S. Petro plena meridie in extasi, & D. Paulo in tertium cœlum rapto.

Postremum divino cultui destinatorum hominum ordinem constituerunt Scribæ,  
di-

(u) 1. Reg. C. 28.

dicti etiam Judices & Doctores. Horum munus erat, Dei legem interpretari, ad quod non nisi longo studio eruditi admittebantur. Origo eorum hæc fuit: Moses, quæ tum ad Dei cultum, tum ad mores pertinebant, alia voce viva populo tradidit, alia scripto consignavit. Primi generis *Traditiones*, secundi *Leges* adpelari consueverunt. Ea vero, quæ Moses voce docuit, primum cum Josue communicabat, Josue postea cum Senioribus, hi cum Prophetis, & Prophetæ demum cum Scribis, ut calamo exciperent, populo pluribus exponenda. Ita Esdras singulari elogio (x) *Scriba velox in lege Moysis* commendatur. Hi igitur quavis hebdomada semel legem interpretari debebant, ut Josephus (y) testatur: „ Legislator, „ ait, non semel legem suos audire voluit, sed in unaquaque septimana alia „ opera relinquentes ad legem audientiam congregari, eamque perfecte discere. „ Non minus Philo: (z) „ Moris fuit, inquit, Sabbatis operam dare „ Philosophiæ, principe (*Scribarum*) antecedente ac docente, quæ opus factum ac dictum essent, reliquis audientibus ; „ ex

(x) *Esdræ 1. Cap. 7.*(y) *L. 7. adversus Appionem.*(z) *L. 3. de vita Moysis.*

„ ex quo nunc etiam philosophantur Sab-  
„ batis patrio more: nam oratoria in ci-  
„ vitatibus scholæ sunt omnium virtu-  
„ tum, quibus divina humanaque intel-  
„ liguntur, & corriguntur. „ Itaque of-  
ficiū Scribarum duplex erat, nempe ut  
& verba legis coram populi concione  
distincte recitarent, & si qua interpreta-  
tione opus esset, exponerent pluribus.  
Unde Doctores a docendo, & Judices a  
dijudicando genuinum legis sensum dicti  
sunt. Locus ad functiones has destina-  
tus erat templum, & synagoga: in tem-  
plo id fiebat solemnioribus festis, inter-  
rogando respondendo, ac disputando: in  
synagogis vero singulis, ut dictum est,  
septimanis, interpretando & verba legis  
ruminando.

§. IV.

*Res Militaris Hebræorum.*

XVIII.

*Militiæ Hebræicæ præstantia.*

**R**em bellicam apud Hebræos optime  
constitutam fuisse non facile quis in-  
ficias ibit, qui negotio huic intentus S.  
Scripturam diligentius evoluit. Quippe  
bel-

bella illorum & multitudine & virtute  
 militum, & Ducum excellentia, & ho-  
 stium devictorum copia, & rerum gesta-  
 rum, victoriarumque magnitudine omni-  
 bus aliarum gentium, etiam Græcorum  
 & Romanorum bellis sunt anteferenda.  
 Duo autem bellorum genera heic distin-  
 guere oportet. Quædam enim supremi  
 Numinis jussu gerebant adversus hostes,  
 vel qui transitum in terram promissam  
 contra fas negabant, vel quos ob gran-  
 dia scelera iræ suæ victimas Deus desti-  
 navit. His, quales Chananæi, Amaleci-  
 tæ, &c. fuerunt, nequaquam parcere,  
 sed ferro & igne exterminare illos, ac  
 penitus excindere jubebantur Hebræi;  
 quæ res crudelitatis speciem aliquam  
 præbere potuisset, nisi Deo jubente, &  
 arcano ejus consilio id factum esset. At-  
 que hoc erat familiari Scripturæ phrasi:  
*præliare prælia Domini.* Nempe in his  
 ipse *Dominus Exercituum* adfuit auxilio,  
 prosperumque semper successum præbuit,  
 factis etiam prodigiis. Sic Mose in mon-  
 te orante, quamdiu manus levabat, vin-  
 cebat Israel: si paullulum remisit, vince-  
 bat Amalec, donec tandem hostilis exer-  
 citus ad internecionem deletus fuerit. Sic  
 Josue pugnante jubenteque Sol & Luna  
 stetit, usque dum victoria compleretur.

Sic

Sic egressis in aciem Hebræis conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. (a) Sic dejecti expugnatique solo tubarum sonitu muri Jerichuntini. (b) Erat tunc sane perpetua victoriarum series, & palmæ velut in manibus Hebræorum crescebant.

Alia bella seu Regum arbitrio, seu populi voluntate suscepta fuerunt, quorum varia sors. Quippe sæpius victores ex acie regressi sunt, adjuvante fortitudinem belli justitiæ causæ; sæpe ingentem passi sunt cladem, incumbente cervicibus eorum vindicta criminum, ita ut etiam everfis urbibus & Hierosolyma expugnata in duram longamque captivitatem fuerint abstracti. Juvat brevem bellorum hujus populi catalogum texere, ut intelligatur, quanta & Ducum Hebræorum scientia militaris, & militum robur ac fortitudo fuerit, ut tantam molem & varietatem bellorum tanto tempore sustinerent. Primum Hebræi, quum per Arabiam transfirent Duce Mose, cum ipsis regionum harum incolis Amalecitis, Moabitibus, atque vicinis Regibus manus conferuerunt adeo feliciter, ut iis omni  
ex

(a) *Exodi* 15,

(b) *Josue* 6.

ex parte cæsis fugatisque inoffenso postmodum pede Jordanem transmiserint. Superato Jordane cum Amorrhæis, Chananæis, Jebusæis, &c. qui terram a Deo Hebræis promissam incoluere, pluribus pertinacissimisque præliis conflixerunt, ac tandem devictis illis vastissimam regionem totam sorte diviserunt: Neque tamen bellorum finis. Continuo præliandum erat cum finitimis Regibus Madiatarum, Moabitarum, præcipue autem cum Philistæis, juratis Hebræorum hostibus. David tandem Jebusæis, Moabitis, Ammonitis, & Philistæis quater profligatis pacatum undique imperium Salomoni filio reliquit. Non diu post diviso regno varia bella civilia inter Reges Juda & Israel intercesserant cum maximo reipublicæ damno. Quando enim Reges cum populo Domini jugum excusserant, abjecta veluti cura nec Deus eorum amplius armis adstitit, sed gentibus debellandos tradidit, & in servitatem miseram abstrahendos. Surrexere tamen Machabæi Viri fortissimi, qui rem collapsam magnis victoriis aliquamdiu sustinebant. Denique tribus bellis pessumdatum est regnum: uno quod intulit Cneus Pompejus, qui Urbem cepit: altero C. Sosii, qui Aristobulo civitate pulso Herodem suffecit:

cit: tertio & postremo, quo Titus Cæsar  
everfa Solyma finem regno imposuit.  
Hæc de re bellica Hebræorum universe  
dicta sufficiant. Nunc ad singularia de-  
scendendum.

XIX.

*Milites & Duces.*

Exercitus Hebræorum, uti apud alias  
nationes, ex Ducibus & militibus consta-  
bat. Hi non *conduci* dicebantur, sed *eli-  
gi*, quum ante Davidis tempora propriis,  
non Principis impensis ad signa conveni-  
rent, habito solum delectu: immo morem  
stipendia solvendi militibus primum a Jo-  
anne Hircano introductum fuisse memo-  
rat Josephus. (c) Non raro universus  
populus arma capere jubebatur, quemad-  
modum in bello cum Schon Rege Amor-  
rhæorum, & Og Rege Basan (d) item in  
obsidione urbis Jericho. (e) Quandoque  
nonnisi cum selectissimis quibusque expe-  
ditio bellica suscipiebatur, uti a Josue  
contra Amalecitas (f) & adversus Hai  
cum tribus militum millibus. (g) Con-  
vocati autem urgente periculo cuncti e  
fin-

(c) *Antiq. L. 13. C. 16.* (d) *Numer. 21.*

(e) *Josue 7.* (f) *Exod. 17.*

(g) *Num. 31.*



singulis tribubus comparere debebant a viginti & amplius annis, severissima in eos, qui venire detrectarent, pœna statuta. Certe de Saule legimus, quod sub initium regni sui, dum arandæ glebæ operam daret, certior factus de irruptione Ammonitarum, e vestigio dissecti bovis, quem tunc agebat, partes circumquaque in omnem regionem miserit, edicens: *Quicumque non exierit, sic fiet bobus ejus.* (h) Nec opus erat apud Viros strenuissimos vi ac metu, qui semper pro patria & religione non solum pugnare, sed & mortem oppetere parati erant. Unde Tacitus (i) elegans hoc testimonium Hebrææ genti præbuit: *Animas præliis peremptorum æternas putant; hinc generandi amor, & moriendi contemptus.* Desertis itaque laribus uxores filiosque tanquam obsides fidei suæ reliquerunt aut redituri victores, aut gloriosa morte occubituri. Primis temporibus exercitus nonnisi pedites numerabat, sub Regibus dein etiam equites, comparatis e regionum aliarum vicinia equis, præsertim ex Ægypto. Salomon quadraginta equorum, & curruum equitumque duodecim millia habuisse legitur. (k) Et sane Reges exercitus in  
aciem

(h) 1. Reg. II.

(i) Histor. L. 6.

(k) 2. Paralip. 9.

aciem educebant copiosissimos, ut in populo non adeo latis Asiæ finibus habitante res fidem superaret, nisi S. Scriptura testis accederet omni exceptione major. David Rex duodecim turmas, quarum quævis viginti quatuor millia conficiebat, sub signis habuit: Salomon ultra trecenta millia. (l) Abia Rex Juda exercitum conflavit quadringentis virorum millibus instructum adversus Jeroboamum Israelis Regem, sibi cum octingentis millibus occurrentem, qui in prælio commisso quingenta millia e suis militibus cæsa fugataque desideravit. (m) At Josaphat, qui nec tertiam Davidici regni partem occupabat, numeravit undecim supra sexaginta millia Virorum ad bellum aptorum paratorumque: *hi omnes erant ad manum Regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis, in universo Juda.* (n)

Quid de Ducibus commemorem? diversi horum Ordines fuere. Omnium supremus belli Dux apud Hebræos merito dici poterat ipse Deus, quamdiu in ejus obsequio & fide isti permanserunt, nec bella proprio gesserant arbitrio. Hujus

(l) 1. Paralip. 27. (m) 2. Paralip. 13.

(n) 2. Paralip. 17.

jus enim nutu in aciem prodibant, hujus imperio freti pugnabant, hujus Numine vincebant: *Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* (o) Quæ gentes debellandæ, quæ delendæ, quibus parcendum, a Deo discabant. Ipsa fœderis Arca, qua nihil religiosius erat Hebræo populo, tanquam Dei præsentis symbolum in mediis castris inter immanes tubarum clangores a Sacerdotibus excitatos collocata fuit, ubi periculum grandius & præsentius præ foribus esse videbatur. Unde non aliud in bellis nomen Deo inditum legimus, quam *Deus exercituum*, & ipse Moses, quas sub signis habebat, copias *exercitum Domini* nuncupabat, ita ut illarum Imperator nonnisi Dei vices gerere censeretur. Hic autem idem fuit in acie, qui Dux, Rex, vel Princeps in republica habebatur. A Josue usque ad Reges populus eligebat Duces belli, vel Deus ostento aliquo, quem vellet, designabat, uti Othonielem, Barac, & Gedeonem. Ubi regium nomen & potestas introducta fuit, ipsi Reges tanquam supremi Duces in bella processerant. Hoc enim proprium munus illorum erat veluti ex pacto. Nam ubi Regem a Deo

(o) *Deuter, 20.*

Deo sibi petiit populus: *judicabit*, in-  
quiebat, *nos rex noster & egredietur ante*  
*nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*  
(p) Saul & David sine equis & curri-  
bus in acie comparuisse videntur, & in-  
ter alios milites manus cum hoste con-  
seruisse, quamvis selecta fortium quorun-  
dam virorum (pueros Regis Scriptura S.  
vocat) turma stipati, & regiis insignibus  
spectabiles. Nam Amalecita ille occiso  
Saule armillam & baltheum ejusdem ad  
Davidem detulit, signum simul & spo-  
lium defuncti Regis. Posteriori ævo Re-  
ges Juda & Israel regio cultu induti  
sublimes de curru pugnasse leguntur, se-  
quente alio curru vacuo, qui primo for-  
te confracto succederet, aut Regem vul-  
neratum exciperet. (q) Post Regem  
primum locum & summam in castris po-  
testatem habuit *Princeps militiæ*, qualis  
fuit sub Saule Abner, sub Davide Joab  
& Amasa, sub Salomone Banaja. Ma-  
gnam hujus Principis etiam extra bellum  
in Aula Regis potentiam fuisse colligitur  
ex Elisæi ad Viduam verbis: (r) *Ha-*  
*bes negotium, & vis ut loquar Regi sive*  
*Prin-*

(p) 1. *Reg.* 8. (q) 2. *Paralip.* 35.

(r) 4. *Reg.* 4.

*Principi militiæ?* Præter hunc in exercitu eminebant Chiliarchæ, (seu Tribuni mille militibus præfecti, Centuriones, Quinquagenarii, Tertiani, ac tandem Decuriones, quorum munera unum altero inferiora fuerunt. Erant enim copiæ universæ in Tribus distinctæ: Tribus vero diversis cohortibus, quarum quævis mille milites complectebatur, constabant secundum familiarum & urbium dignitatem. Cohortes parebant Tribuno ex eadem familia vel urbe lecto: manus autem militum dicebatur, quæ quinquaginta viros numerabat. His adjungendi sunt Præfecti militares, quos vocabant *Præsides Templi*, & *Præfectos exercitus Templi*, qui præerant tum templi, tum turris Antonia, templo junctæ, præsidio: primum Judas Machabæus, alterum illius posteri imposuere. *Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venient gentes, & conculcarent eum, sicut antea fecerunt; & collocavit ibi (Judas) exercitum, ut servarent eum.* (s)

## XX.

*Arma & Signa militaria.*

Armorum usum Hebræis fuisse primis statim temporibus, testatur S. Scriptura, dum (t) Isaac Patriarcha ad filium Esau dixit: *Sume arma, & p̄baretvam, & arcum.* (u) *Et armati ascenderunt filii Israel.* (x) *Armate, inquit, ex vobis viros.* (y) *Profecti sunt de cognatione Dan, sexcenti viri succincti armis bellicis.* Et vero belli tempore Hebræi omnes, etiam Sacerdotes & Levitæ, cum armis processere, extra quod ne gladium quidem gestabant. Quænam vero fuerint arma illa præter enses & sagittas, vix constat: quivis enim sibimet ipsi de armis providebat, necdum constitutis publicis armamentariis. Hinc facile potuit contingere, ut quidquid primum in manus veniebat, arriperent, & in hostem stringerent. Ita legimus: (z) *Samgar filius Anath, qui percussit de P̄bilisthūm sexcentos viros vomere: & ipse quoque defendit Israel.* Ita Samson modo alini man-

(t) *Genes. 27.*(u) *Exod. 13.*(x) *Numer. 20.*(y) *Judic. 18.*(z) *Judic. 3.*

mandibula, modo clava eosdem Philistæos bene multos trucidavit. At Regum tempore armis fere iisdem, quibus Græci & Romani, instructi fuisse videntur, ac probe in illis exercitati. Inprimis arcu & funda plurimum valebant, quemadmodum Jonathæ peritiam commendat David (a) *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum*, id est, ictu certo avolabat ex arcu. Et David ipse immānem Goliath, cui vincendo nemo par inveniebatur, lapide e funda missio stravit. Ensem femori adplicatum gerebant: *Ponat vir gladium super femur suum*, (b) & suspensum e cingulo militari seu baltheo, qui non ab humeris ad pectus defluebat, sed renes tantummodo strinxit. Quippe Nehemias illis, quos extruendis Hierosolymæ muris adhibuit, edixit *ut gladio succinctos renes habeant*. (c) Baltheus hic militaris quoque honoris signum & fortitudinis præmium erat: *Si vidisti*, ait Joab ad virum, qui Absolonem ex arbore suspensum invenit, *si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & unum baltheum*. (d) Non minus hastis, spiculis, & lanceis pugnabant,

qua-

(a) 2. Reg. C. 1.

(b) Exodi 32.

(c) 2. Esdræ 4.

(d) 2. Reg. 18.

quarum sæpe plures uno ictu in hostem torquebant, ut Joab Davidis bellidux tribus Absolonem trajecit. (e) Nec defuerunt scuta seu clypei e ligno vel corio, adjecta metalli lamina obducti. De viris illis fortissimis, qui Davidem sequebantur, Scriptura dicit: *Pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreae in montibus.* (f) Galea quoque & lorica tecti in acie comparuerunt: Galeæ quidem æreæ fuerunt, uti Regis Saulis: Loricæ vero ex laminis ferreis instar squammarum, vel minutis e ferro annulis inter se junctis connexæ. *Induit Saul David vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput ejus, & vestivit eum lorica.* (g) Omnem hunc armorum adparatum simul sub oculos ponit S. Scriptura, dum (h) de Ozia Rege meminit: *Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui (trecentorum & septem millium quingentorum militum) clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcusque, & fundas ad jaciendos lapides.* Ut autem semper in promptu essent hæc martis instrumenta, cœperunt

(e) 2. Reg. 18.

(f) 1. Paralip. 12.

(g) 1. Reg. 16.

(h) L. 2. Paralip. 26.



runt exstrui sub Regibus armamentaria publica, omnis generis hujus supellectile instructissima. David maximam armorum copiam tum hostibus ereptam, tum in regno suo fabricatam Tabernaculo intulit; & summus Sacerdos Jojada ea ipsa die, qua Joas in Regem assumptus est, e Templi thesauro tot arma depromsit, quot texercitui iis instruendo sufficerent. Neque splendor aberat a bellico terrore isto. Nam de Salomone legimus, (i) quod in palatio saltus Libani aulam amplissimam construxerit, armis refertam, inter quæ, ut de reliquis taceam, trecenti clypei, & ducentæ hastæ aureis laminis vestitæ amœnum intuitibus spectaculum præbuere, quem tamen magnificum adparatum una dies pessumdedit, quando Roboam successor infelici exitu cum Sefac Ægypti Rege conflixit, quamvis jacturam hanc substitutis totidem æneis armis utcunque reparaverit.

De signis militaribus aliud in S. Scriptura vestigium non occurrit, nisi quod (k) jubente Deo *singuli per turmas, signa atque vexilla, & domos cognationum suarum castra metati fuerint filii Israel per*  
 gy.

(i) 3. Reg. 10.

(k) Numer. C. 2.

*gyrum tabernaculi fæderis.* Et (1) quod Josue urbem Hai expugnaturus hastæ apici clypeum suum præfixerit, conspiciendum militibus aggressionis signum. Hebræi tamen Scriptores, quænam hæc signa & vexilla fuerint, latius explicant hac ratione: Singulis tribubus, ajunt, sua erant, quibus distinguebantur, insignia. In acie autem ternæ communi vexillo, sub quo militarent, utebantur: Juda, Issachar, Zabulon leunculum præferebant cum lemmate: *Exurge Deus, & dissipentur inimici tui.* Ruben, Simeon, Gad cervum addita inscriptione: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus solus est.* Ephraim, Manasse, & Benjamin puerum opere phrygio pictum adscriptis hisce verbis: *Deus in columna nubis præcedebat eos per diem.* Demum Dan, Aser, Nephthali Aquilam sublimem portabant cum epigraphe: *Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.*

XXI.

*Castra & Disciplina militaris.*

Castrorum ordo, quem dictante Deo præscripsit Moses, in tanta populi multitu-

(1) *Josue C. 8.*

tudine profecto admirabilis fuit, & violari nefcius; idemque semper, etsi per diversissimas regiones, & per medios hostes ex omni parte occurrentes iter instituendum esset. Hunc nos docet S. Scriptura: (m) Tabernaculum cum Arca fœderis medium in castris locum occupabat, eratque veluti centrum, circa quod hinc & inde disposita erant tentoria Levitarum, tanquam militum prætorianorum, e quibus eminebat Tabernaculi ostio proximum supremi Ducis. Tum Orientem versus confedere tribus Judæ cum Principibus suis, & viris bellatoribus 74600: tribus Issachar cum Principibus & 54400: tribus Zabulon cum Principibus, & 57400. Meridionalem plagam occuparunt tribus Ruben cum Principibus suis, & 46500: tribus Simeon cum Principibus & 59300: tribus Gad cum Principibus, & 45650. Versus Occidentem sedem fixerunt tribus Ephraim cum Principibus suis, & 40500: tribus Manasse cum Principibus, & 32200: tribus Benjamin cum Principibus, & 35400. Denique qua Aquilonem spectabant castra, posuerunt tentoria sua tribus Dan cum Principibus suis, & 62700: tribus Asar cum Principibus, & 41500:

tri-

(m) Numer. 2.

tribus Nephtali cum Principibus; & 53400. Videmus heic grandem sane exercitum, utpote qui univcrse solos viros, quos S. Scriptura *Pugnatores*, id est, ad pugnam aptos & paratos vocat, 603550, sexcenta tria millia quingentos & quinquaginta numeravit, non computatis Levitis, & ad sarcinas remanentibus senibus, fœminis, pueris, aliisque ad ministeria quotidiana necessariis. Tentoria autem Hebræorum, sicut apud alias gentes mos invaluit, e pellibus per funes & clavos tensis confecta fuere, ut ex Isaia intelligimus (n) dicente ad Israelem: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum extende, longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida.* Idem ordo, qui in castris metandis, etiam in processione ac itinere militari servabatur. Ad id tubis datum est signum: *Fac tibi duas tubas, ait Dominus ad Moïsem (o) argentens ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra; cumque increpaveris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis: si semel clangueris, venient ad te Principes & capita multitudinis Israel: si autem proluxior ac concisior*

(n) C. 54.

(o) Numer. 10.

*si or clangor increpauerit, movebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam; in secundo autem sonitu, & pari ululatu tubæ levabunt tentoria, qui habitant ad meridiam. Et juxta hunc morem reliqui facient, ululantibus tubis in profectioem.* Percepto itaque tubarum sonitu confestim collecta sunt vasa cum tabernaculo, onerata plaustra, iter institutum, ita ut singulæ tribus designatum prius ordinem relictis intervallis tenerent, ne qua turma alteri foret impedimento. Ultimæ inceserunt tribus Dan, Aser, & Nephthali, quarum erat imbellem turbam & impedimenta protegere.

## XXII.

Disciplinam militarem, seu leges exercitui tum in præliis tum in obsidionibus jubente Deo per Mosen præscriptas exponit S. Scriptura in Deuteronomio, (p) quarum synopsis hæc est. I. Ne timore percellantur Hebræi, si conspexerint hostium copias numero longe superiores, eorum equitatus & currus ad terrorem incutiendum paratos, *quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti.* II. Quum ad prælium ventum fuerit, Sacerdos ante aciem conspicuus sta-

(p) Cap. 20.

stabit, & populum his verbis adhortabitur: *Audi Israel: vos bodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidētis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* III. Ante pugnam Duces per singulas exercitus tūrmās circumibunt, & audientibus omnibus proclamabunt, ut discedant ab exercitu, & revertantur, qui novam domum struxerunt, necdum dedicatam: aut qui vineam plantarunt, necdum ad communem usum excultam: vel qui sponsam duxerunt, necdum in uxorem adsumtam, ne forte moriatur in bello, & alius occupet opus, quod inchoavit. Item qui corde pavido est, *ne pavere faciat corda fratrum suorum.* IV. Quum finem loquendi fecerint Duces, reliqui inferiores Præfecti quisque suas ad strenue pugnandum cohortes animabit, & expeditas habebit. V. Si ad urbem expugnandam egredientur, primum pacis consilia suggerantur hosti, qui si portas sponte aperuerit, nemini incolarum injuria vel mors inferatur: solummodo imponatur tributum. VI. Si deditionem renuerit, & armis opposuerit arma, expugnata urbe *percutietur*

*tur omne, quod in ea masculini generis est, in ore gladii, absque mulieribus & infantibus, jumentis, & cæteris, quæ in civitate sunt.* VII. Præda omnis distribuatur inter milites, ut de spoliis hostium laboris sui præmium ferant. VIII. Id ipsum faciant cum reliquis civitatibus procul distitis, & iis, quas Deus ad habitandum Hebræis non assignavit: in illis vero, quas concedet habitandas, nulli omnino hominum parcatur, sed omnis populus interneccione delebitur, ne seducant Hebræos consortio suo, & ad idololatriam pelliciant. IX. Obsidione facta & munitionibus per circuitum instructis non liceat succidere arbores fructiferas, & securibus sylvas vastare: *quia lignum est, non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* X. Si quæ autem arbores agrestes sint, & steriles, succidantur, & in alios convertantur usus, nempe ad machinas fabricandas, donec civitas in potestatem redigatur. Neque solum hæ belli leges, sed etiam illæ, quæ ad religionem spectabant, ipso in bello ab Hebræis sancte servabantur. Quippe ne Sabbatum violarent, non raro in itinere substiterunt, nec oblatis victoriæ occasionebus uti audebant: quin quod Jo-

phus (q) scribit, Ptolomæus Lagi, quum Jerofolymam infestaret ipsa festa Sabbati die, nullo mœnia conscendere, ac vim vi repellere auso eam cepit. Non modicam quoque cladem passi sunt Machabæi ab hoste in montibus intercepti. *Moriamur*, inquebant, (r) *moriamur omnes in simplicitate nostra, & testes erunt super nos cælum & terra, quod injuste perditis nos. Et intulerunt illi (nempe hostes) bellum Sabbatis, & mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum usque ad mille animas hominum.* Quod factum forte religiosius, quam prudentius dici poterat: statuerunt enim post hanc stragem Machabæi coacto consilio, non quidem aggressuros se deinceps hostem ejusmodi festo die; si tamen se defendendi necessitas instaret, vim vi repulsuros.

XXIII.

*Prælia, Obsidiones, & Victoria.*

Quod jus gentium præcipit, ut priusquam bellum adversæ parti inferatur, hoc per feciales indicetur, aut ut pro injuria satisfiat, postuletur, id ipsum quoque Moses Hebræis mandavit, ut non antea infestis signis in hostem moverent, prius-

(q) *Antiq. L. 12.* (r) *1. Machab. 2.*



priusquam pacis condiciones proposuissent. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.* (s) De Chananæ incolis quidem tale exemplum non exstat: tradidit enim Deus populos istos idololatrias, ob ingentia illorum scelera pridem anathemate percussos in manus Hebræorum, ut eos stirpitis excinderent. At Jephthe Dux Israelitarum, quum Ammonitæ illorum terminos infestarent, cum exercitu egressus misit, qui nunciaret hosti: *Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?* iis vero non sine calumnia reponentibus, hanc suam esse, malaque fide ab Israelitis possideri, pacemque oblatam repudiantibus Jephthe respondit: *Judicet Dominus arbiter bujus diei inter Israel & filios Ammon,* datoque signo in hostes irruit, multisque occisis reliquos in fugam dedit. (t) Hoc belli indicti exemplum: aliud pacis obtentæ. Nam quum Philistæi combustas a Samsone segetes ulturi hostiliter Judæam invaderent, Tribus hæc legatos miserat, interrogantes, *cur ascenditis adversus nos?* (u) exposita a Philistæis caussa, dataque vicissim a Legatis fide

(s) Deuter. 20.

(t) Judic. II.

(u) Judic. 15.

pe de Samsone tradendo tanquam damni auctore, illi innoxii domum reversi sunt.

Jam vero decreto prælio acies ordinata fuit : qua vero ratione id factum sit, vix alicubi distincte prodit S. Scriptura, licet tot pugnas & clades passim recenscat. Ex modo loquendi *instruere aciem, dirigere aciem, terribilis ut castrorum acies ordinata*, colligere licet, ordinem quemcunque demum in præliis servatum fuisse : & quidem turmas in cuneos formatas legimus : (x) *Cumque siluerint Duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.* Cuneus autem in militia, ut Vegetius docet (y) dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie primo angustior, dein latior semper procedit, & adversariorum ordines rumpit; quin a pluribus in unum locum tela mittuntur, quam rem milites vocant *caput porcinum*. Morem quoque dividendi exercitus in dextrum & sinistrum cornu apud Hebræos fuisse constat ex pugna Judæ Machabæi, fortissimi Principis, cum Bacchide & Alcimo inita : *Et movit exercitus eorum (id est, Hebræorum) de castris, & steterunt illis obviam, & divisi sunt equites in duas partes,*

(x) Deuter. 20.

(y) L. 3. C. 9.

tes, & fundibularii & sagittarii præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes. (z) Quumque animadvertisset Judas Bacchidis dextrum cornu firmitus esse sinistro, hoc cum fortissima suorum manu aggressus fudit, & usque ad montem Azoti persecutus est. At hostes videntes, qui in sinistro cornu Bacchidis erant, quod contritum est dextrum cornu, a tergo Judam invaserunt, & ingravatam est prælium, & ceciderunt multi ex his & illis. Et Judas cecidit, & cæteri fugerunt. Non igitur, ut multi crediderunt, sine ordine, sine lege, sine arte congressi sunt Hebræi cum hoste, spectaculo magis simili macello, quam justo prælio. Signum autem ad hoc clangore tubarum dari solebat, & quidem a Sacerdotibus, quorum jus & prærogativa hæc fuit: *Filii Aaron Sacerdotes*, ait Moses (a) *clangent tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversus vos, clangentis ululantibus tubis, & erit recordatio vestra coram Domino Deo vestro, ut evanescant de manibus inimicorum vestrorum.* Hic tubarum sonitus sancti aliquid ac religiosi habere videbatur. Nam in obsidio.

(z) 1. Machab. 9.

(a) Numer. 10.

dione urbis Jericho insonantibus Sacerdotum buccinis muri corruentes aditum in civitatem aperuerunt: in prælio, quod Abia Rex Juda cum Jeroboamo Israelis Rege iniit, prioris exercitus jam jam rebus inclinantibus de fuga sibi prospiciens sacrarum buccinarum clangore ita confirmatus fuit, ut hostiles posterioris copias fere ad internecionem deleverit. *Quippe corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium.* (b) Quod terribile fatum prædixisse illis visus est ante pugnam Rex Abia, sic eos allocutus: *In exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, & resonant contra vos. Filii Israel nolite pugnare contra Dominum.* Dum autem Sacerdotes utebantur buccinis seu tubis, Duces cornibus signum dabant vel ad colligendas copias, & corripienda arma, vel ad receptui canendum, ut de Gedeone, Saule, Joab, &c. legitur. Speculas quoque in editis turribus, & excelsis montibus adversus subitas irruptiones Hebræi statuere consueverunt, ubi tubis aut accenso igne, vel panno aliquo in præalta pertica suspensio indicium hostis advenientis præbebatur, quibus audi-

(b) 2. Paralip. 13.

ditis vel visis omnes ad arma capeffenda convolarunt. *Si speculator viderit gladium venientem, ait Ezechiel, (c) & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est.* Præcipuus & hostium terror & Hebræorum ad fortia certamina stimulus erat, si Arca fœderis velut in centrum castrorum & exercitus a Sacerdotibus adferebatur, tanquam certissimum divinæ opis pignus. Hanc Moses & Josue in omnibus pugnis præsentem habuere: hujus aspectu militum animi ad strenue pugnandum confirmati, hostes vero in desperationem acti. Certe Philistæi territi exclamabant: *Venit Deus in castra: & ingemuerunt, Væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* (d) Cæterum finita pugna, obtentaque victoria ad prædam dividendam conversi sunt, quæ a supremo Belliduce æqua portione inter eos distributa fuit, etiam illis in partem venientibus, qui ad sarcinas remanserunt. (e) Non tamen spolia prius in castra inferri poterant, antequam expiarentur: quæ quidem ære aut ferro constabant, igne; alia

ve-

(c) C. 33.

(d) 1. Reg. 4.

(e) Deuter. 31. &amp; 1. Reg. 30.

vero aquis lustrabantur. Pretiosior pars totius prædæ Ducibus ac Regibus, quin etiam Sacerdotibus & Numini offerebatur.

XXIV.

Obsidionum ab Hebræis susceptarum non eadem ratio fuit, sed pro diversitate temporum diversa. Mosis præcepit Deus: (f) *Quando obsederis civitatem & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, &c.* Munitiones autem istæ, quibus obsessæ urbes circumdabantur, erant fossæ, aggeres, sudes, ac turres, quibus armati milites impositi, quæque machinarum nomine tunc veniebant: *Ligna agrestia succide, & instrue machinas.* (g) His exitus omnis præcludebatur obsessis, simulque commeatus & copiæ auxiliares intercipiabantur. Itaque cives ad deditionem cogebantur fame, vel obsidentes scalis admotis muros superando urbem vi expugnarunt. At Regum tempore cultior erat, ac magis operosa & urbium muniendarum & obsidendarum methodus. Ita de Roboamo Scriptura dicit: (h) quod civitates munitissimas exstru-

(f) *Deuter. 20.*

(g) *Ibid.*

(h) *2. Paralip. 11.*

xerit, quarum quindecim enumerat, additque : *sed & in singulis urbibus fecit armamentaria scutorum, & bastarum, firmavitque eas summa diligentia.* De Ozia Rege vero testatur (i) *Fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas & saxa grandia.* Atque hic Ozias primus machinarum ejusmodi auctor celebratur, quas superior ætas necdum viderat. Inter has videntur etiam fuisse aries, instrumentum quatiendis mœniis aptissimum: testudo e clypeis in pontis formam junctis ad muros superandos: & vinea ad subruendas turres, quæ propugnaculorum loco tunc erant; de quibus Ezechiel, dum Tyri obsidionem prophético afflatus spiritu prædixit: *Circumdabit te, inquiebat, munitionibus, comportabit aggerem in gyro, & elevabit contra te clypeum, & vineas, & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet.* (k) Plura adhuc similium machinarum, etiam igne factarum, genera reperire licet Machabæorum ævo, ubi Antiochus Eupator Jerosolymam obsedit, Machabæis illam strenue defendentibus. *Statuit illuc (Antiochus) balistas & machinas, & ignis*

(i) *Ibid.* C. 26.

(k) C. 26.

*jacula, & tormenta ad lapides jactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas, & fundibula. Fecerunt autem & ipsi (Machabæi) machinas adversus machinas eorum, & pugnaverunt dies multos. (1)*

XXV.

De triumphis ac trophæis, quibus victorias suas Græci ac Romani nescio an majori pompa vel fastu exornarunt, apud Hebræos vix aliquod vestigium reperitur. Equidem Saul insigni victoria de Amalecitis reportata elatus triumphalem arcum in Carmelo sibi metipsi erexisse legitur, (m) ac solemne festum celebrasse immolatis ex omni præda hostiis: *Nunciatum est Samueli, quod venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.* Sed ob hoc ipsum factum graviter a Propheta reprehensus est. Jephthe Patri, Ammonitarum Domitori, triumphum aliquem instruxisse videtur Filia, quæ cum tympanis & choris festivas inter acclamations reduci e prælio Victori obviam ivit. Sed omnis hæc lætitia in luctum abiit, & filia in victimam voto destinatae lugubri sacrificio funestata fuit. Majorem triumphi speciem præ-

(1) 1. Machab. 6.

(m) 1. Reg. 15.



præbuit Davidis post Goliathum devictum ingressus in urbem Solymæam. Nam toto exercitu & populo committante, ipsoque Saule Rege latus victoris stipante David abscissum Gigantis caput manu præferens, palamque omnibus ostentans incescit, Comitibus arma Goliathi in morem trophæi portantibus: *Assumens autem David caput Philistæi attulit illud in Jerusalem.* (n) Ita ovantem effusæ per portas mulieres ex omnibus Israelis civitatibus cum tympanis & sistris inter cantus & choros exceperunt, & lætum pæana intonabant: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Sed caro stetit hic qualiscunque triumphus Davidi, dum odium Saulis ei peperit, nonnisi cæde illius extinguendum, si non singulari Numinis providentia fuisset servatus. Potior itaque Hebræorum, utpote populi religiosissimi, cura fuit, ut post victorias de hostibus relatas supremo exercituum Domino debitas ac solemnes gratias referrent. Præivit Moses exemplo. Nam fugatis deletisque Amalecitis ad perpetuam rei memoriam exstruxit aram, ac Domino dedicavit, adjecto lemmate: *Dominus exaltatio mea.* (o) Cantica quoque sacra composuerunt, quæ populi

(n) 1. Reg. 17.

(o) Exod. 17.

totius voce inter clangentes Sacerdotum tubas, & omnis generis musica instrumenta solemniter decantabant, Dei laudem, & facti memoriam continentia. Tale est Canticum Mosis & filiorum Israel submerso Pharaone, ejusque exercitu: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est: equum & ascensorem dejecit in mare.* &c. (p) Tale etiam fuit Debboræ & Barac post victoriam de Sifara, exercitus Regis Jabin Principe: *Audite Reges, percipite Principes: Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel,* &c. (q) Non minus arma cæsorum hostium, spolia, & prædas ditissimas Numini tanquam trophæa consecrarunt, suspendentes in Tabernaculo vel Templo. Ita Goliathi gladium & arma in Tabernaculo appendit David: & (r) in libro primo Paralipomenon legimus, constitutos fuisse e tribuum Principibus custodes Templi, quorum curæ fuerunt commissi *thesauri sanctorum, quæ sanctificavit David Rex, & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & Duces exercitus de bellis & manubiis præliorum, quæ conservaverant*

(p) Exodi 15.

(q) Judic. 5.

(r) C. 6.

*rant ad instaurationem & supellectilem Templi Domini. Hæc de re militari Hebræorum.*

§. V.

*Festa Hebræorum.*

XXVI.

*Festa Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum.*

**A**d sacra iterum transeamus, quibus adnumerari merentur dies Festi, quos agebant Hebræi non ritu aliarum gentium, apud quas variis ludis, saltibus, certaminibus, & conviviis ejusmodi Festa polluebantur potius, quam colebantur; sed religiosis & majestate plenis ceremoniis. Ex his alii, & potiores a Deo, alii iique pauci ab hominibus instituti fuere. A Deo quidem *Pascha cum Azymis, Pentecoste cum Primitiis, Tubæ, Expiationes, Tabernacula cum collectis, Sabbatum, Annus Sabbaticus & Jubilæus*: ab hominibus *Encania*, & quidam alii minus festi dies.

*Pascha*, Hebræis *Pesach* sive transitus Domini, festum solemne fuit, quot annis occurrens, & a Deo graviter præceptum,

ptum, (s) ut eo menſe, quo populus Duce Moſe ex Ægypto egreſſus eſt, ad perpetuam tanti beneficii recordationem celebraretur. Heic duo memoratu digna ſeſe offerunt. Primum tempus eſt: Ante Moſis ævum anno initium dabatur in Æquinoctio, quod in Autumno contingit, menſe ſcilicet Tiſri ſeu Septembri. Verum poſtea mandante Deo (t) juſſi ſunt Hebræi inchoare annum in verno Æquinoctio, menſe Niſan ſive Martio; nimirum eo ipſo, quo ex Ægypti ſervitute eductus fuit populus. Igitur quarta decima luna, id eſt, quarta decima dies Martii erat ſtabili ſede designata Paſchalis feſti initio, qua ſingulæ familiæ agnum maſculum absque macula, aliove vitio maſtare jubebantur, & aſſatum cum Azymis ſeu panibus nullo fermento miſtis comedere. Sequens vero dies adpellabatur *Magnum Paſcha*, & *Prima Azymorum*: ſeptima vero (ſeptem enim dies feſtivitati huic debebant impendi, e quibus prima & ultima ſolemnes erant) *Collecta* dicebatur, quia intra tempus iſtud terræ fruges metebant & colligebant. Alterum ſunt cere-

mo-

(s) *Exod.* 13. & *Deuterom.* 12.

(t) *Ibid.*

monia, quibus solemnia hæc peragebantur: 1. Postes & summum limen ædium agni immolati sanguine tingi oportebat, quemadmodum Deo præcipiente factum in Ægypto ante egressum, quando Angelus Exterminator percutiens omnia Ægyptiorum primogenita viso in postibus Hebræorum hoc signo, scilicet sanguine agni, eorum domos innoxius pertransiit. 2. Nocte pascha præcedente agnus, de quo dixi, manducandus erat assus cum pane azymo, & lactucis agrestibus: nihil crudum aut elixum, sed solum, quod igne assum fuit, edere fas erat; ossa frangere non licuit, sed ipsum etiam caput agni, & pedes, & viscera absumere oportuit, reliquiis cunctis igne crematis. Si familia non sufficeret agno comedendo, e vicina domo aliquos invitare oportuit. 3. Cuius comparendum fuit peregrinantium more, cinctis renibus, pedibus calceatis, & manibus baculo instructis, ac festinatio in vescendo adhibenda. Hic tamen ritus non semper viguit, utpote qui pro ipsa egressus ex Ægypto nocte præscriptus erat. 4. Toto Paschatis tempore a vesperis primis usque ad septimæ diei finem panis fermento misti usus severissime fuit interdictus. Hæc omnia docet liber  
Exo-

Exodi. (u) Porro Pascha celebrari non potuit, nisi in urbe regni metropoli, qualis erat primum Galgala, tum Silo, dein Jerosolyma. (x) Qui vero itinere, morbo, aliove legitimo impedimento prohibebantur, quo minus stato tempore hoc festum agerent, iis decima quarta dies mensis sequentis Jar aut Sivan, Aprili ac Majo nostro respondentis, constituta fuit. (y) Quatuor præcipue Paschatum celebritates descriptas S. Scriptura nobis reliquit: primam sub Josue in terra Chananæa: alteram sub Ezechia Rege: tertiam Josiæ Regis tempore: quartam post reditum populi e captivitate babilonica. Ex his magnificentia superasse reliquas videtur secunda: *Fecerunt filii Israel, qui inventi sunt in Hierusalem, solemnitatem Azymorum septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificas, & laudantes Dominum Deum patrum suorum, & placuit universæ multitudini, ut celebrarent etiam alios dies septem, quod & fecerunt cum ingenti gaudio, factaque est grandis celebritas in Hierusalem, qualis a diebus Salomonis filii David, regis Israel, in ea urbe non fuerat.* (z)

*Pen.*

(u) C. 12.

(x) Deuter. 16.

(y) Numer. 9.

(z) 2. Paralip. 30.

*Pentecostes* festum erat e solemnioribus unum, quod etiam, quoniam numero a secunda Paschatis die inito quinquagesima die, atque ita elapsis septem hebdomadibus celebrabatur, *Quinquagesimum* & *Festum Hebdomadarum* fuit nuncupatum. Quippe frugum messi, quam memorata secunda Paschatis die inchoabant, tunc finis impositus fuit mense Sivan seu Majo. Duas potissimum causas festivitatis hujus commemorat S. Scriptura: primam, ut supremum Dei Dominium profiteretur populus, ad templum deferendo primos frugum suarum manipulos: alteram ut nunquam memoria excideret dies ab egressu ex Ægypto quinquagesima, qua legem Hebræis promulgandam Moses in monte Sinai a Deo ipso acceperat. Offerebantur igitur in Pentecoste frugum primitiæ, præsertim tritici, seu panes duo e farina termento subacta confecti, præter quos septem agni unius anni, vitulus, & bini arietes in holocaustum, duo alii agni in hostias pacificas, & demum hircus pro peccato immolabantur. (a)

Festum *Tabernaculorum*, græce *Scenopægia*, quæ vox erectionem tabernaculorum signi-

(a) *Levit. 23.*

significat. Hoc in memoriam tabernaculorum illorum, quibus Hebræi in suo per desertum tam longo & tædii pleno itinere utebantur, institutum erat. Dies festivitati, quæ per integram hebdomadam extendebatur, adsignata fuit decima quinta mensis Tizri, sive Septembris, ubi tempore Autumni fructus collecti fuerunt. Singuli dies isti feriati, primus tamen & ultimus præ reliquis erant solemnes. Festi hujus lætitiâ splendide describit Esdras, (b) prout eam celebravit populus, Urbe sancta recens instaurata: *Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pucberrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est. Et egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domo sua, & in atriis suis, & in atriis Domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim. Fecit ergo universa Ecclesia eorum, qui redierunt de captivitate tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis . . . . & fuit lætitiâ magna nimis. Legit autem in libro Legis Dei a primo die usque ad diem novissimum, & fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octa-*

vo

(b) L. 2. C. 8.



*vo Collectam juxta ritum.* Hunc autem  
 distincte magis explicat Josephus (c) in  
 hunc modum : „ In manibus portarunt  
 „ ramos myrti, & salices, summitates-  
 „ que palmarum, & virgulas mali perfici.  
 „ Prima dierum fit holocaustum hostia-  
 „ rum ex tredecim bobus, & agno uno  
 „ aut pluribus, & arietibus duobus, ad-  
 „ jecto hirco pro declinatione peccato-  
 „ rum. Sex autem diebus ipse quidem  
 „ numerus agnorum & arietum cum hir-  
 „ co sacrificatur : subtrahitur autem sin-  
 „ gulis diebus unus bos, donec ad septi-  
 „ mam veniatur, & ab omni opere die  
 „ octavo requiescunt, & Deo vitulum  
 „ immolant, & arietem, & agnos septem,  
 „ & hircum pro declinatione peccato-  
 „ rum. „ Atque hæc tria festa, scilicet  
 Pascha, Pentecostes, & Tabernacula,  
 fuerunt omnium præcipua, ad quæ ce-  
 lebranda omnis sexus virilis e cunctis  
 Judææ finibus quot annis convenire in  
 Urbem Hierusalem, & interesse sacris le-  
 ge tenebatur.



XXVII.

*Sabbatum, Annus Sabbaticus, &  
Jubilæus.*

Sabbatum omnium primum ac vetustissimum erat Festum, & *Quietis* dicebatur in memoriam septimi diei, quo supremus mundi Opifex Deus veluti a labore sex dierum, quibus orbem universum condidit, quieverat. Hic sacerrimus fuit Hebræis, ac religione ad superstitionem usque plenus. Certe Philo (d) vocat publicum orbis festum, & mundo universo commune, in omnibus late urbibus qua græcis qua barbaris civitate donatum; quam tamen Philonis sententiam meliores Scripturæ sacræ Interpretes rejiciunt, nec ante legem Mosaicam Sabbati religionem invaluisse, aut a Patriarchis custoditam fuisse contendunt. Duplex quasi præceptum erat pro hac die latum. Unum: *Diem Sabbati sanctifices.* (e) quod orationibus, divinis laudibus, & legis intelligendæ studio in Templo & Synagogis implere oportebat. Alterum: *Non facies omne opus in eo.* (f) quo omnis labor servilis, nec homini ingenuo conveniens prohibebatur, ita ut ne quidem

(d) *De Opif. mundi.* (e) *Numer. 28.*

(f) *Levit. 22.*

dem focum ad domesticos usus, & cibos coquendos excitare liceret a vespera Sabbati usque ad illius diei alteram vesperam: *a vespera ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* (g) fuitque præceptum hoc adeo sanctum, ut ejus violati reo capitis supplicium fuerit statutum, quod expertus est Hebræorum quidam, qui Sabbato in solitudine ligna collegisse deprehensus jubente per Mosen Deo lapidibus fuit obrutus. (h) Concessum tamen erat adquare pecudes, & si quod forte in foveam decidisset die Sabbati, inde extrahere, uti constat ex illo Matthæi loco (i) quo invidi Pharisæi Christum violati Sabbati reum egerunt, quando die Sabbati ægrotum sanabat. Licebat etiam iter instituere, sed nonnisi breve, ac certo spatio dimensum, & si Rabinis fides est adhibenda, duo millia cubitorum longum. Unde S. Lucas, ut iter a monte Oliveti usque Jerosolymam designaret, Sabbati iter statuit. *Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, Sabbati habens iter.* (k)

Sab-

(g) *Levit. 23.*(h) *Numer. 15.*(i) *C. 12.*(k) *Act. C. I.*

Sabbato adnectere oportet *Annun Sabbaticum* seu *Sabbatarium*, qui septimo quoque anno in orbem redeunte occurrebat. Hoc anno nullum terræ sementi mandari poterat, & arva, arbores ac vineæ incultæ relinquebantur, ita ut quod sponte sua soli benignitas protulit, quasi primo occupantis esset, fructusque omnes pauperibus, viduis, orphanis & advenis, quin & pecoribus in prædam cederent: *sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus, anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea & oliveto.* (1) Ne vero hac ratione ipsi agrorum & vinearum domini anno septimo & sequenti penuriam pati cogerentur, providit idem, qui hoc præcepit Deus. *Quodsi dixeris, quid comederimus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum, seretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges usque ad nonum annum.* (m) Aliæ quoque hujus anni septimi immu-

ni.

(1) *Exod.* 23. (m) *Levit.* 25.

nitates fuere. Servi debebant manumitti, & in libertatem asseri, nisi sponte huic suo juri renuntiassent. *Tunc enim a domino applicabitur* (servus ejusmodi) *ad ostium & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in seculum.* (n) Præter hæc debita a creditoribus exigi haud poterant: nec quam paupertate premi permissum, ita conceptis verbis jubente Deo: (o) *Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit. A peregrino & advena exiges: civem & propinquum repetendi non habes potestatem. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Fænerabis gentibus multis, & ipse a nullo accipies mutuum . . . . Cum tibi venditus fuerit Frater tuus Hebræus aut Hebræa, & sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & de torculari tuo.*

Huic Sabbatico fere per omnia similis erat Annus Quinquagesimus siue *Jubilaus* aut *Jobeleus*, ita nominatus, quia fe-

(n) *Exod. 21.*(o) *Deuter. 15.*

festivum illius initium Levitæ tubis arietinis, quæ Hebræis *Jobelim* dicuntur, convocato populo indixerunt ac promulgarunt. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul facient annos quadraginta novem, & clanges buccina mense septimo, decimo die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ: ipse enim est Jubilæus.* (p) Eadem ferme immunitates huic anno Jubilæo, quæ Sabbatico concessæ fuerunt, quod adinet ad terræ culturam, fructuum communiam, & servorum Hebræorum libertatem: immo plures. Nam illa etiam mancipia, quæ septimo anno juri adipiscendæ libertatis renunciarunt, hoc anno manumitti debebant: insuper bona & hæreditates, seu venditæ fuerint, seu in pignus datæ, ad pristinum dominum redibant. *Reversus homo ad possessionem suam, & unusquisque redibit ad familiam pristinam.* (q)

XXVIII

(p) *Levit. 25.*

(q) *Ibid.*

## XXVIII.

*Festum Tubarum, Expiationum,  
Enceniorum, &c.*

Sequitur Festum *Tubarum*. Hoc die prima mensis septimi Tisri, apud nos Septembris, celebratum fuit, qua ipsa annum civilem auspicati sunt Hebræi, credentes mundum eo ipso tempore a Deo conditum fuisse. Duplicem vero instituti hujus festi rationem adferunt Interpretes, nimirum vel in memoriam illius diei, quo Moses legis tabulas, a Deo in monte Sinai inter tubarum clangores accepit, vel quo Isaac jamjam paterna manu immolandus invento ariete, inter dumeta cornibus hærente, atque in victimam substituto, a morte liberatus fuit. Festum hoc solemnius reddidit holocaustum totius populi nomine oblatum, vitulus scilicet, arietes duo, & septem agni unius anni, cum farinæ & vini libaminibus.

Plura occurrunt dicenda de Festo *Expiationum*, quod *Kippur* & *Cbippus* Hebræi nuncupabant a venia, quam pro commissis totius anni peccatis humillime flagitabant. Hoc decimum septimi mensis Tisri diem sibi adsignatum habuit, quo

quo lege cautum fuit, ut animas suas affligerent, hoc est, jejunarent: *Mense septimo decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio: ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundabimini.* (r) Itaque jubebantur Hebræi primum jejunare, & afflictatione animarum se ad hoc festum præparare: jejunia enim Hebræorum non solum in abstinentia a cibis, sed etiam in vario luctus genere posita erant. Dato per buccinæ sonitum signo omnis populus Hierosolymis in Templo, alibi in foro publico conveniebat: totum diem absque cibo & potu transigebant ad vesperam usque: sedebant profundo immergi silentio, cinere ac cilicio cooperti. Legebatur lex: Seniores adhortabantur populum ad pœnitentiam agendam, & jejunii tempore Viri a mulieribus abstinabant, nec nuptias tunc celebrare licuit. Jam vero ritus expiandi insolitum quid habebat. Præter alias enim ceremonias sacrificiis, de quibus §. III. dixi, communes summus Sacerdos toto corpore lotus, & sola tectus veste linea

com-

(r) *Levit. 17.*



comparuit absque *tunica hyacinthina*, *Ephod*, & *Rationali*, ac si pretiosa hæc indumenta luctui & pœnitentiæ minus convenirent. Præterea e duobus hircis, quos a Principibus acceptos offerebat totius populi nomine, unum sorte electum in libertatem asseruit hac ratione: hirco coram se adducto postquam manus imposuit, sua totiusque gentis delicta palam confessus est: tum per hominem ad id constitutum hircus ille velut populi peccatis, & diris, quas imprecabatur Sacerdos, onustus in desertum liber dimissus fuit, adpellatus propterea ab Hebræis *Azazel*, *hircus*, & *caper emissarius* a S. Scriptura: *Posita utraque manu super caput ejus confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, & peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, &c. . . . ille vero qui dimiserit caprum emissarium, &c. (s)*

*Encœnia* seu festum Dedicacionis. Quatuor autem solemniores Templi Hierosolymitani dedicaciones occurrunt in S. Scri-

(s) *Levit. 16.*

Scriptura. Prima fuit & magnificentissima Salomonis, mense septimo Tizri, sive Septembri, per octo dies celebrata, præfente immenso populo, & victimis sine numero cæsis. (t) Secunda fuit Templi a Zorobabele instaurati, postquam Judæi soluta captivitate babylonica in patrium solum rediere, mense Adar, qui respondet Februario. (u) Tertia non tam Templi fuit, quam Altaris, quando Judas Machabæus devicto Gorgia templum, a gentibus undequaque profanatum, cum fratribus suis & sacerdotibus expurgavit, aram vero holocausti destructa veteri novam erexit, mense Casleu seu Novembri. (x) Quarta denique dedicatio templi fuit, ab Herode constructi seu potius novis accessionibus amplificati: hanc die Herodis natali maxima cum pompa fuisse celebratam narrat Josephus. (y)

Fuerunt & alii dies Festi minores.  
1. Ad anni cujusvis finem institutus est planctus filiæ Jephthe, quam Pater victor e præ-

(t) 3. Reg. 8. & Paralip. 7.

(u) Esdræ Cap. 7.

(x) 1. Machab. 4.

(y) Lib. 15.

e praelio redux virginem immolasse creditur. Exinde mos increvit (2) in Israel, & consuetudo servata est, ut post anni circulum convenient in unum filii Israel, & plangent filiam Jephthe Galaditæ diebus quatuor. 2. Dies vicessimus mensis Casleu, quo ignis, quem in terram defossam, finita captivitate babylo-nica extinctum repererant, cœlesti prodigio rursus animatus fuit. 3. Dies vigesimus quintus mensis Casleu, quo Judith vidua ex urbe Bethuliæ egressa Holofernem exercitus Assyrici Principem prostravit. Nam dies victoriæ bujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem. (a) 4. Dies tertius decimus mensis Adar seu Februarii recolendæ victoriæ Estheris Reginæ adversus Aman Judæorum hostem insensissimum obtentæ institutus a Mardochoo. Hunc Judæi communi lætitia inter festivas epulas celebrabant, missis ultro citroque ciborum donariis. 5. Dies decimus quartus mensis Adar ob Nicanorem Regis Assyriorum ducem debellatum. 6. Præter alia complura jejunia solemne illud fuit, quod propter mortem Godoliæ mensæ Tisri, & in memo-

riam

(2) *Judic. II.*(a) *Judith. C. 16.*

riam obsidionis, qua Nabuchodonosor Jerosolymam premebat, solutæ instituebatur. 7. His accenseri merentur *Neomezia*, seu primus cujusvis mensis dies, qui festus quidem non fuit, nec legi de cessatione operis subjectus: indictus tamen tubarum clangore, ac privatae cujuslibet religioni relictus, quove extra ordinem vituli duo, aries unus, & agni septem cum reliquis libamentis in holocaustum offerri jubebantur.

§. VI.

*Artes & Studia Hebræorum.*

XXIX.

*Agricultura & vita Pastoritia.*

Inter Hebræorum studia profana primis gentis hujus temporibus primum facile locum obtinuisse videtur agricultura, & vita pastoritia. Si universum populi istius quasi exercitum lustrare velimus, a Principe supremo ad infimum usque mancipium omnes agricolas & pastores fuisse deprehendemus, ita ut rei hujus studium characterismus Hebræorum dici possit. Ut nihil dicam de Adami filiis Cain & Abel, de quibus S. Scriptura

meminit, (b) *Fuit autem Abel pastor ovium & Cain Agricola: nihil de Abrahamo, Loth, Isaaco, Josepho, Jacobo, quorum facultates omnes agris, terræ frugibus, & ovium, aliorumque animalium gregibus, quarum rerum curam & culturam ipsi susceperunt, definiebantur: novimus Mosen, dum pascebat oves Jethro soceri sui Sacerdotis Madian, cumque minasset gregem ad interiora deserti, venisse ad montem Horeb, unde a Deo vocatus est ad munus Legati, & si fas est ita loqui, vice-Dei ad Pharaonem potentissimum Ægypti Regem, ac Israelis totius Dux supremus fuit constitutus.* (c) Gedeon dum tritico excutiendo, purgandoque frumento operam dabat, ab Angelo Dei nomine non sine ostento populum regere, ac contra Madianitas in aciem educere jussus est. (d) Saul jam in Regem electus unctusque par boum reducebat ex agro, quando nuncium accepit, Jabes urbem in Galaad sitam extremum periclitari; convocatoque protinus exercitu trecentorum trium millium deposito agricola Bellidux comparuit, & Ammonitas profligavit. (e) David quoque, quum oves pascebat, a Samuele ad

so-

(b) *Genes. 4.*(c) *Exod. C. 3.*(d) *Judic. 6.*(e) *I. Reg. II.*

folium sceptrumque evocatus fuit, atque ad oves denuo reversus est, declinaturus tantisper furorem & insidias Saulis Generi sui. (f) Davidis filios regios, dum oves suas tonderent, convivium instituisse legimus. (g) Elisæus ab Elia ad Prophetæ officium evectus est eo ipso tempore & loco, quo glebam uno e duodecim vomeribus patris sui sulcare reperiebatur. (h) Vir Judithæ, opulentis admodum & honoratissimus, dum ardente Sirio messoribus suis continuo præsens esset in agro, nimio æstu in morbum incidit, brevi extinctus. (i) Plurima alia rei hujus exempla extant. Sufficiat dixisse: apud Hebræos Reges fuisse dictos *pastores*, ac populum *gregem* eleganti metaphora a vitæ pastoritiæ, terræque cultu deducta. Et vero non ignobile hoc studium esse, sed inter magnas scientias collocandum satis demonstrant tot veteres ac nobiles Scriptores tum Poetæ, qui Buccolica & Eclogas præstantes in laudem utriusque hujus vitæ tam agrestis quam pastoritiæ posteritati reliquerunt, tum Philologi, qui exactam de agrorum, pratorum, vinearum cultu, deque tota re rustica doctrinam prosa oratione comple-

(f) 1. Reg. C. 16. (g) 2. Reg. 13.

(h) 3. Reg. 19. (i) Judith. C. 8.

plexi sunt. Et vero rusticæ rei scientia latissime patet. Oportet enim nosse indolem terræ, seminum vim & virtutem, glebæ subigendæ modum, tempestatum vicissitudines, & pericula, quibus fruges obnoxia sunt: arbores & vites plantandi, & fructus ad maturitatem perducendi methodum; animalium pastus, educationem, morbos, medicamina: instrumenta his usibus apta & necessaria fabricandi artem; denique rationem fruges collectas rite conservandi. Huic studio florentibus annis etiam Græcæ ac Romanæ Reipublicæ Proceres in extructis ruri prædiis ac latifundiis vacasse, (quod rusticari, & rusticationem vocabant) nec id curis suis inter tot alia publica negotia inferius duxisse historia veterum temporum nos abunde docet: quin quod plerumque, ubi servis & vilissimæ plebi cultura hæc relicta fuit, dominante interea in civitatibus luxu & desidia, potentissimæ istæ aliæque respublicæ magis magisque inclinare cœperint. At Hebræorum per multos centenos annos hæc ferme præcipua, si non unica fuit occupatio nobilium æque ac ignobilium: parentes filios & filias hujuscemodi laboribus a teneris unguiculis assuefaciebant, suasque opes ac potentiam omnem in agris

agris, pratis, vineis & horreis optime cultis collocatam credidere.

XXX.

*Linguae patricæ Studium, Sculptura, Pictura.*

De aliis artibus & scientiis profanis, singulari diligentia apud gentem hanc excultis non ita memoriæ proditum est. Vix vestigium aliquod adparet, quod Hebræi scholas habuerint publicas, puerosve suos alio miserint ad eas frequentandas, addiscendasque literas vel artes liberales. Quapropter res invidiæ plena, & execratione digna visa fuit strenuis illis Machabæis Gymnasium id, quod Antiochus Illustris impiorum civium aliquorum, & patriæ proditorum consilio & rogatu Græco more Hierosolymis ædificavit (k) Quippe Hebræi peregrinarum linguarum & literarum studio nullo ducebantur; potius ab eo abhorrebant tanquam a re mancipiis suis communi, quibus hebræam linguam discendi necessitatem servitus imposuit, uti Josephus testatur. (l) Contenti erant sua, quam omnium antiquissimam, & velut a Deo ipso consecratam summa veneratione pro-

(k) 1. Machab. 1. (l) Antiq. L. 29.



sequebantur. Quamvis enim simplicissima esset, & e paucis verborum radicibus nata, ditissima tamen fuit vocibus, quarum plurimæ integra in se sensa, quasi sinu suo abscondita continebant. Ejus expressiones nobile quid & emphasi plenum præseferabant, neque aliarum linguarum vocibus, tanquam aurum sequiore metallo, misceri se patiebatur. Nullus ambiguitati aut ænigmati locus: nec a Mosis tempore usque ad babylonicam captivitatem quidquam vitii contraxit, vel mutationis subiit. Præcipua pars studii penes juventutem fuit ut patriam hanc linguam pure ac sincere absque ullo sphalmate loqui, legere ac scribere nosset. Hac in palæstra publice exercitabatur potissimum die Sabbati in synagogis, dum adultiores convenirent eodem tempore ad audiendam legis interpretationem, ut prodit Origenes. (m)

Callebant quoque alias artes, cæteris gentibus communes, quantum ad vitam sustentandam, aliave negotia quotidiana fuerunt necessaria. Jam sub mundi exordium meminit S. Scriptura de Tubalcain, quod fuerit *malleator & faber in cuncta opera aris & ferri.* (n) Neque  
Noe

(m) *L. 4. contra Celsum.* (n) *Genes. 4.*

Noe arcam fabricare, neque illius nepotes turrim Babel ædificare potuissent, gnaris opificibus destituti. Quod autem postmodum hæ aliæque artes magis magisque fuerint excultæ, dubitare nos haud sinit eadem S. Scriptura. Nam ubi Moses tabernaculum struere iussus est, Beseleem & Ooliabum ad grande hoc opus adhibuit, de quorum primo, qui filius Uri erat de tribu Juda, dicit: (o) *Implevitque eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, sculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabre adinveniri potest.* De altero autem: *Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan: ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii ac plumarii, de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac nova quoque reperiant.* Simili ratione, quando David moriturus ultimum affatus est filium Salomonem, exhortatusque, ut templum magnifice a se designatum Numini ædificaret, his verbis usus erat: *Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos,*  
*in*

*in auro, & argento, & ære, & ferro.* (p) De arte pingendi, quemadmodum apud nos in usu est, dum prata, sylvæ, urbes, flores, animalia, homines, prælia, integræque historiæ vivis coloribus exprimuntur, an eam calluerint Hebræi, merito in dubium vocari potest. Nam ex omnibus veteris testamenti libris certi nihii constat. Legimus quidem (q) *Et omnes parietes templi (Salomonici) per circuitum sculpsit variis cœlaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* Rursus (r) *Lectuli quoque aurei & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat.* Verum bene consideranti verba pronum est suspicari, quasdam parietum partes cœmento vel scalpello magis elevatas duntaxat coloribus diversis fuisse tinctas, quum paullo post dicatur: *& sculpsit in eis picturam Cherubim:* ita etiam pavimentum versicoloribus lapillis fuisse stratum, quod nunc opus *Musaicum* seu *Musivum* adpellamus. De aliis certe picturis ad artis regulas factis altum silentium, cujus ratio esse potest, quod

(p) 1. Paralip. 22.

(q) 3. Reg. 6.

(r) Esther C. 1.

quod aliis gentibus idola, sacrificia, & fabulas passim depingentibus Hebræos religionis amor ab artis hujus exercitatione absterruerit. Atque hoc innuere videtur, quod *spiritu raptus in Hierusalem* Ezechiel vidisse se testatur: (s) *Et ingressus vidi, & ecce, omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio & universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.*

XXXI.

*Poesis, & Musica.*

An Poeseos ars in Hebræorum republica floruerit, non conveniunt Scriptores, aliis eam elevantibus, deprimentibus aliis. Josephus, Origenes, Eusebius, & S. Hieronymus Mosis cantica, & quidem, ut Josephus sæpe testatur, heroico carmine scripta fuisse contendunt. Totum psalterium versibus jambicis, alcaicis, & saphicis, non minus quam Pindari ac Horatii poemata, plenum esse asserit D. Hieronymus. (t) De libro Job dicere non dubitat, post illa verba: *Peveat dies in qua natus sum, omnia hexa-*

(s) *Ezech. Cap. 8.*

(t) *Præf. in Chron. Euseb.*

xametris, dactylis & spondæis constare, quamquam fateatur, quod *propter linguæ idioma crebro recipiant tales pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum.* Interdum quoque rhythmus ipse dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum solutis; quod *Metrici magis, quam simplex Lector intelligunt.* At Augustinus Calmet (u) cum Scaligero, Eugubino, Ludovico Capella, Martinio, Grotio, &c. nulla carminis artificiosi, & ad metrum ac pedes adstricti vestigia in canticis, psalmis, ac prophetiis deprehendi, erudite ut solet ac studiose adstruit, quamvis negare non ausit, rhythmos interdum ac dedita opera conquisitos in psalmis, aliisque Scripturæ libris carmine scriptis recurrere. „ Antiquius, ait, apud Græcos Poema Homeri & Hesiodi carminibus nullum est, quæ sane sexcentis „ annis Mosaicis scriptis recentiores sunt. „ Quis rogo post hæc Hebræorum Legislatorum, Jobum & Davidem methodicam & artificialem poesin secutos fuisse affirmaverit? *Quare censet, eorum „ poemata felicitis cujusdam ingenii factus esse, quod Dei spiritus animabat, „ atque pro eo, quo agitabatur, æstro, „ conceptus suos poetico & sublimiori*

sti.

(u) *In Dissert. de Poesi Veter. Hebraeor.*

„ stilo, nunquam tamen legibus & regulis coacto effundebat. „ Utrique parti aliquid tribuendum videtur, scilicet non quidem ad artis poeticæ a Græcis conditæ regulas Mosis cantica, psalmos, aliæque fuisse composita, utpote quæ regulæ primum, ut in aliis scientiis contigit, e diuturnis observationibus boni malive carminis aut rhythmici aures sono suo blande afficientis natæ sunt. Hæc tamen non prohibent, quo minus dicatur, rhythmici ac pedum dimensiones, e quibus carmina heroica & lyrica prodierunt, genus aliquod, licet minus forte perfectum, in sacris hinc Scriptis contentum fuisse. Profecto difficile est, tantis tamque peritis, & longe proximioribus testibus quemadmodum sunt Josephus, & Hieronymus, omnem de Poësi Hebraicam fidem abnegare; præterquam quod lingua Hebraica, Mosis, Davidi, &c. familiaris, post captivitatem babylonicam varias mutationes passa sit, ita ut non tam de ea, quæ nunc exstat, quam de illa, quæ tunc viguit, testimonium e traditione Majorum præbere doctissimi hi Viri intelligantur.

Certius quid de arte musica pronunciare licet, cujus sane studiosissima fuit

gens Hebræa; non quidem illius omni ex parte compositæ, quæ nostris temporibus in usu est, sed simplicis, attamen numerosæ, ac ciendis aurium & cordium suavissimis sensis natæ factæque. Moses vix mare erythræum cum populo Dei sicco pede transgressus, ut pro tanto beneficio grates Numini ageret, in cœtu virorum notum illud & magnificum Canticum concinit; Maria interim sorore tympanum pulsante, idemque canticum prosequente inter choros reliquarum mulierum, qua voce qua musicis instrumentis ludentium. (x) David autem Rex, Cytharædus ille nobilissimus, hanc artem & coluit ipse, & cultum ejus mirifice propagavit. Nam ut sacris divinisque officiis majestatem conciliaret, inter tot tantaque regni negotia quamplurima cantica composuit, instrumenta musica construere curavit, Levitarum chorum numerosissimum instituit, ita ut festis præsertim diebus totum Tabernaculum, & omnis mons Sion symphonia aures & corda demulcente resonaret. Templo constructo quater mille Cantores constituti fuerunt, quibus Asaph, Heman, & Idithum celebres in hac arte magistri præficiantur, ut eos in omni vocum & in-

(x) *Exodi. 15.*

instrumentorum musicorum genere erudirent. Nec solum in Templo, sed etiam in Aula Regia suum musicæ pretium erat, & studium. Ita Berzellaus Davidi in aulam suam se invitanti dixit: *Nunquid audire possum ultra vocem Cantatorum atque Cantatricum?* Non minus Salomon, ne qua parte Aulæ suæ splendore aliquid deesset, *fecisse sibi Cantores, atque Cantatrices* memoratur, quo nomine in S. Scriptura passim venit non solum musica, quæ vocibus, sed etiam quæ instrumentis omnis generis peragitur. Horum tres fere classes fuerunt. Quædam fidibus constabant, quædam pneumatica, alia variæ fortis tympana fuerunt. Ad primam pertinere *Nablum* seu *Psalterium*, alio nomine *Cithara* sive *Hafur*, vel *Decacordum*, decem fidibus instructum, hoc solo discrimine, quod psalterium superiore parte, cithara inferiore concava fuerit, & pulsaretur plectro vel digito fides vellicantibus. *Cinor* sive *Lira* vetus trium, aliquando sex, & novem omnino fidium, sonum edens in ventre subjecto. *Symphonia* tensis in cavo machinæ oblongæ ac rotundæ, chordis ope manubrii agitatis, amœnum concentum reddidit. *Sambuca* instrumentum musicum erat, in quo fides ordine longo ac



multiplici super tabulam distributæ, ac exiguis bacillis sollicitatæ resonabant. Alteram classem constituerunt tibiæ, tubæ, & organum vetus *Huggach* dictum, fistulis imparibus canentis ore animatis constans. Tertia classis complectebatur tympana varii generis: quædam corio obducta, & bacillis nodosis percussa raucum edebant sonitum, nostris simillima: quædam proprie *cymbala* nuncupabantur ære constructa instar pilei aut spheræ cavæ, interque se collisa acutissimum sonum edidere: alia *Sistra* trium angulorum, vel rotunda innexis annulis, aut virgis æneis impetu quodam concussis strepitum subtilissimum ciebant. Effigies horum instrumentorum æri incisas exhibet Dictionarium Biblicum Calmeti. (z)

Quam vero vim arcanam & suavitate plenam in animos audientium musica hæc exercuerit, dissimulare nefas est. Saul audita ejusmodi symphonia spiritu prophético correptus, & in alium virum mutatus fuit, uti Samuel prædixerat:

(a) *Obvium habebis gregem Propbetarum descendentium in excelfo, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque propbetantes. & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis*

cum

(z) *V. Musica.*(a) *1. Reg. 10.*

*cum eis, & mutaberis in virum alium.* Idem dum tetra melancholia agitabatur, citharæ Davidicæ sonum præsentissimum morbo suo remedium expertus est. (b) Josaphat Rex, quum Moabitæ, Ammonitæ, & populi de monte Seir infestis armis obviam venissent, ipse suorum aciem antecedere jussit Cantores Domini eo, quo in templo solebant ordine, ac musicis instrumentis concinere, quibus vix resonantibus hostes subito terrore percussi, in fugam acti, & multis vulneribus concisi sunt. (c) Quæ licet prodigio proxima sint, nihil tamen supra naturam habere videntur, si stupendas musicæ artis vires in hominum animos dominantes considerare velimus, quas multi Scriptores profani non contemnendæ fidei prodidere.

XXXII.

*Theologiæ Positivæ Studium.*

Jam vero præcipuum Hebræorum studium in Theologiæ quodam genere, quam *Positivam* vocamus, versabatur. Equidem aliæ quoque scientiæ, ut Astronomia,

(b) 1. Reg. 16. (c) 2. Paralip. 20.

mia, Geographia, Eloquentia, Philo-  
 sophia, Medicina ipsis ignotæ haudqua-  
 quam fuere, quum non pauca illarum  
 vestigia in SS Literis deprehendantur.  
 Et certe Mosen harum omnium fuisse  
 peritum satis constat ex historia de ori-  
 gine singularum fere artium & scientia-  
 rum, quam in libris præcedentibus exhi-  
 bui, nec credibile est, Hebræos ex hoc  
 uberrimo fonte non hausisse illarum prin-  
 cipia & fundamenta, quæ filiis & ne-  
 potibus suis postmodum communicarint.  
 Nihilominus fateri oportet, nec scholas  
 fuisse huic genti, in quibus harum ar-  
 tium & scientiarum supellectile instrue-  
 retur juvenus, nec Magistros, qui pu-  
 blice eas profiterentur, nec regulas cer-  
 tas & leges, quibus in harum studio re-  
 gerentur. Quæ in his artibus & scien-  
 tiis documenta reliquerunt, non tam ar-  
 tificio alicui, quam lumini naturali ac in-  
 genio, quo pollebant, vivido, forti, &  
 profundo, tanquam soli bonitati tribuen-  
 da videntur. Sola S. Scriptura, illius-  
 que studium sufficere ipsis poterat, Scri-  
 ptura inquam, cujus verba, ut Moses  
 ait Israelem alloquens: (d) *Erunt in  
 corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, &  
 meditaberis in eis sedens in domo tua, &*  
*am.*

(d) Deuter. 6.

*ambulans in itinere, dormiens atque con-*  
*surgens.* Hæc suppeditavit illis historiam  
totius mundi usque ad sua tempora, qui-  
bus in terram promissam fuerunt intro-  
ducti : & in hac historia integram vel-  
uti Philosophiam naturalem ac moralem,  
maxime vero Theologiam mysteriis ple-  
nam. Ibi inveniebant origines & genea-  
logiam Patriarcharum suorum, Tribuum  
& nationum, denique omnium sibi nota-  
rum familiarum. Ibi legebant totius re-  
ligionis rationem, leges, ceremonias, do-  
ctrinas morales graphice descriptas; quin  
omnem civilis ac politici regiminis for-  
mam. Hæc inquam vel solus Pentateu-  
chus seu quinque Mosis libri suppedita-  
runt. Nec alii, qui postea successerunt  
libri, sacraeque Scripturae Codici fuerunt  
inserti, defuere. Nam Canon Synagogæ  
hebraicæ tot sacros libros comprehendit,  
quot in alphabeto suo literas, id est, vi-  
ginti duos. Ut nihil dicam de iis, quos  
edax tempus absumsit. Quippe Numero-  
rum capite vigesimo primo fit mentio  
*de libro bellorum Domini.* Josue decimo  
*de libro Justorum,* & in libris Regum  
*de Chronicis Regum Juda & Israel.* Sa-  
lomon scripsit parabolas ter mille, &  
Cantica quinque millia, (e) aliosque li-  
bros

(e) 3. Reg. 4.

bros de universa plantarum & animalium œconomia. Sed hi libri, & fors longe plures interierunt, qui latissimum doctrinæ campum Hebræis ævo illo aperire poterant. Hinc neque librorum ab exteris scriptorum curam habebant, domestica supellectile abunde instructi; præterquam quod omne cum gentibus commercium a Deo ipsis fuerit interdictum. Præter hæc Traditiones Majorum quam diligentissime tenebant, & memoriæ mandabant, quæ fuerunt præstantes, sublimes, & summe utiles, tendebantque ad timorem ac amorem Dei implantandum. Multum quoque tribuebant parabolis, proverbiiis, ac similitudinibus, sub quarum cortice grandis veritatum nucleus ut plurimum latebat. His pleni sunt libri Sapientiæ. Profecto parabola de ove furtim sublata, quam Davidi adultero & homicidæ Nathan Propheta proposuit, subjungens: *Tu es ille Vir.* (f) tam pathetica fuit, ut nec Demosthenes nec Cicero ex omni eloquentiæ penu melius quid depromere potuissent ad Davidis cor expugnandum, & ad pœnitentiam flectendum. Etiam ænigmata docti proponebant per vices, quemadmodum Sam-  
son

(f) 2. Reg. 12.

son inter Tribules, & Regina Saba Salomoni. (g)

Sacræ autem doctrinæ clavis & magisterium penes Sacerdotes fuit: *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus*, ait Malachias. (h) Hi populum convocabant potissimum Sabbatis ad Synagogas, ubi prælegendo, interpretando, disputando, eum in lege Dei & morum præceptis, ac ceremoniis & ritibus sacris indefesso labore erudiebant, non vana & plausibilia tractantes, sed utilia, & ad Dei cultum ac salutem æternam necessaria. Soli quoque Sacerdotes & Prophetæ libris scribendis erant intenti, præcipue historiarum & temporum annalibus; non secus ac apud Ægyptios & Romanos Sacerdotum munus hoc fuit. Ex libris sacris patent characteres Scriptorum: gravitas, sapientia, maturitas, & officiorum negotiorumque peritia: nihil in iis ad ostentationem: nihil adulationis, nihil ambitionis & gloriæ præferunt. Dum Græci Romanique Scriptores vel suam vel populi sui ac patriæ laudem ubique captant grandi artificio, Hebræi contra magna

(g) *Judic.* 14. & 3. *Reg.* 10.

(h) *Cap.* 2.

gna simplicitate simul ac libertate utentes Regum ac gentis suæ uti virtutes, sic vitia commemorant. Prætermiſſis præmiis, epifodiis, nexuque verborum ac ſententiarum exquisito, ſimplici narratione abſque notis & criticis animadverſionibus graviffima religionis suæ myſteria, res geſtas præclariffimas, eventus omnino mirabiles, & documenta ſapientiæ characteribus plena humili ad ſpeciem ſtilo, ſed latente ſublimi ſpiritu complectuntur: & quamvis ſummi hi Viri Deo inſpirante ſcripſerint, ſatis tamen probabile eſt, veritatis curam a Deo ſuſceptam eſſe ita, ne quid erroris committeretur: ſermonis tamen rationem ipſorum ingenio & ſcientiæ relictam fuiſſe, id quod ſtili varietas, & ſententiarum major vel minor energia comprobare videtur. Hæc de ſtudiis & artibus: nunc de moribus.



§. VII.

*Mores Hebræorum.*

XXXIII.

*Nomina, Tituli, Nobilitas.*

Hebræorum mos erat, religioſe cuſto-  
ditus, ut filiis ſuis nomina impone-  
rent, in quibus vel myſterii aliquid la-  
teret, quod in nativitate contigit, vel  
ſingulare quoddam Dei donum reluceret.  
Sic Abraham *Pater multitudinis* nuncu-  
pabatur, quoniam Deus ſemen illius ſi-  
cut ſtellas cœli, & arenas in littore ma-  
ris multiplicaturum ſe promiſit. (i) Isaac  
*Riſus*, quod Angelis Saræ jam vetulæ fi-  
lium hunc eſſe naſciturum prædicentibus  
illa riſerit, velut audita re fidem exce-  
dente. (k) Jacob *Supplantator*, quia  
utero egreſſus plantam fratris Eſau ma-  
nu tenuit. (l) Moſes *Attractus*, ſcilicet  
e Nili aquis. Joſeph *Domini augmen-  
tum* ſeu *Filius accreſcens*, utpote qui na-  
tu licet minimus maximis honoribus &  
Pro-Regis Ægypti dignitate auctus eſt.  
Ra-

(i) *Genſ.* 22.

(k) *Genſ.* 18.

(l) *Genſ.* 25.



Rachel *Ovis*; nam Jacobo futuro sponſo obviam venit cum ovibus patris ſui. (m) Mathuſalem *mortem ſuam poſtulans*, nempe nimio preſſas ſenio, & hominum vetuſtiſſimus. Daniel *Judicium Dei*, quod exercuit in impios ſenes, qui Suſannæ innocentiam oppreſſum ibant. David *dilectus*. Saul *Vulpes*. Eſther *Abſcondita*, priuſquam ad regium ſolium eveheretur. Salomon *Pacificus*. Samuel *Poſitus a Deo* in ducem populi. Joannes *Gratioſus*. Maria *Amaritudinis mare*. JESUS *Dominus Salvator*. Taceo alia quamplurima. Nec fruſtra Hebræi nomina hujusmodi impoſuerunt natis ſuis, ut ſemper vel prodigiorum vel beneficiorum Dei memores eſſent, non raro etiam futurorum præſagi. Alios honorum titulos non admittebat gentis ſimplicitas. Aliquando autem Patris nomen adjucebatur vel ut ab aliis diſcernerentur, vel reverentiæ erga Patrem cauſſa: Saul *ſilius Cis*: David *ſilius Iſai*: Salomon *ſilius David*. quin etiam Matris, ſi Pater plures duxiſſet uxores. Sic Joab & ejus filii dicebantur *filii Sarviæ*. (n) Quod ſi necdum ad faciendum inter fratres & ſorores diſcrimen hoc ſufficeret, Avum etiam

(m) *Genes. 29.*(n) *I. Paralip. 2.*

etiam adjunxerunt, vg. Godolias *filius Abicam, filii Sephan.* (o) id est, filius Ahicam, cujus pater erat Sephan. Quin ultra ad Abavum & Atavum progressi sunt: *Liza quoque filius Sephei, filii Alon, filii Idaia, filii Semvi, filii Samaia.* (p) Quandoque etiam a Conditore Urbis aut regionis, vel gentis cognomen ducebatur, uti Urias *Hetbaus*, Ornam *Jebusæus*. Quamvis autem populus esset pene infinitus, facile tamen inter se discriminabantur secundum tribus & familias, & ope librorum, quos penes se habebant, genealogicorum. Cætera nobilitatis admodum fuere studiosi. hæc residebat in Patriarchis, Principibus tribuum, & familiarum Capitibus, quorum vita licet esset humilis, communis, & laboriosa, nobilitatem tamen natalium conservare studebant ineundo matrimonia non nisi cum Tribus & familiæ suæ scæminis ejusdem ordinis, ac filiis etiam eadem stirpe de uxoribus prospiciendo. Neque egressi sunt, ac domicilium transtulerunt in aliam sedem ac regionem quam quæ facta a Josue divisione cuius Tribui assignata erat. Inter alias vero tribus nobilior fuit Tribus Levi, utpote a Deo ipso electa, suoque servitio consecrata, e qua

(o) *Jerem.* 40.

(p) *1. Paralip.* 4.

qua posteri Aaronis in Sacerdotes, cæteri vero in templi & rerum sacrarum ministros seu Levitas adsumebantur. Reliquas dignitate & familiarum copia antecedebat Tribus Juda, e cujus sinu secundum prophetiam Jacobi patriarchæ prodierunt Reges, & Christus ipse Rex Regum. Hac paulo inferior erat Tribus Ephraim, e quâ Magnus ille Pro-Rex Ægypti Joseph ortum duxit. Ad hunc nobilitatis ordinem diligenter attendebant Hebræi. Hinc Saul mirari satis non potuit, se præ cæteris ad regnum Israelis evocari, dicens ad Samuelem: *Nunquid non filius Femini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de Tribu Benjamin?* (q)

## XXXIV.

*Potentia & Divitiæ.*

Patriarchæ Hebræorum tam libere, quam late dominabantur, suæque in familia instar Regum fuere. Certe Abraham suo arbitrio & bella gessit, & pacem sancivit. Reges cum eo fœdus inibant: ipse cum servis suis ac fœderatis quatuor Reges debellavit. (r) Nil nisi

(q) 1. Reg. 9,

(r) Genes. 14.

nisi Regis titulus deesse videbatur. Non minus eandem quodam modo regiam potestatem exercuere Ismael, Jacob, & Esau. Potentiæ accesserunt divitiæ, quæ primis temporibus e pecorum copia præcipue æstimabantur. Abrahamum legimus tam vastum gregem habuisse, ut a Loth filio fratris sui, quum una regio quantumvis spatiosa utriusque gregem & familiam capere nequirit, discedere in aliam cogereetur. (s) Jacob occurrenti sibi in itinere Esau fratri, quum hostile aliquid ab eo timeret, per servos suos munera misit capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, asinas viginti, & pullos earum decem. (t) universe animalia quingenta & sexaginta. Non minus mancipiis, quam pecoribus abundabant. Abraham numerabat solos servos domesticos & vernaculos, non venientibus in computum alienigenis, & servorum filii & uxoribus, trecentos octodecim, quos omnes armis instruxerat. (u) Succedente tempore etiam auri & argenti copia accessit. Sane idem Patriarcha post suum ex Ægypto reditum  
*erat*

(s) *Genes.* 13.

(t) *Genes.* 32.

(u) *Genes.* 14.

erat dives valde in possessione auri & argenti. (x) Armillæ & inares, quas per servum Eleazarum filii sui Isaaci sponsæ dono dederat, octo uncias auri ponderabant: protulit vir inares aureas appendentes siclos duos & totidem pondo siclorum decem. (y) Pro agro, in quo sepulchrum Saræ conjugii mortuæ struxit, coemto quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ numeravit. (z) Ita res agebantur Patriarcharum tempore. At postquam ingressus est populus toto agmine in terram promissam, eaque inter Tribus & familias divisa fuit, quis possidebat agrum suum, & quidquid a majoribus suis acceperat, summa in pace: non poterant mutare habitationes suas, nec pendere aut dilapidare bona. Quippe cautum lege fuerat, (a) ut singulis quadraginta novem annis elapsis, seu Anno *Jubilæo*, res & possessiones venditæ, mutuo datæ, vel oppignoratæ ad dominum suum redirent: item, ut eodem anno, quin etiam omni anno Sabatico, id est, septimo cuncta debita creditoribus remitterentur. Atque hac ratione factum est, ut nec unus alterius bo-

(x) Genes. 13.

(y) Genes. 24.

(z) Genes. 23.

(a) Vide §. V.

numer. XXVII.

bona ad se adtrahere, nec sua distrahere facile posset, aut grandibus debitis ad inopiam redigi. Neque etiam ex iis quidquam solvere tenebantur præter primitias & decimas: unde pares fere omnibus facultates, nec locus avaritiæ, aut nimix potentix. Cætera non magna pecuniæ paratæ vis & copia in Hebræorum republica fuisse videtur: fœnerari enim inter se prohibitum ipsis erat, concessum tantummodo cum exteris, cum quibus tamen plerisque vix aliquod fuit commercium, utpote alia lege interdictum. Neque Deum illis promississe passim in S. Scriptura legimus aurum, argentum, aut lapides preciosos atque thesauros: sed messem uberem, vindemiam divitem, pluviam, sementem copiosam, horrea & cellas vini oleive plenas, fertilem hominum ac gregum regionem, pacem, securitatem, & de hostibus victoriam.

XXXV.

*Res Vestiaria.*

De vestitu Hebræorum universe licet pronunciare, quod sicuti morum, ita & vestium simplicitate se commendaverint. Gerebant oblongas, ita tamen, ut apud viros infra genua non descenderint, nec

manicæ ultra cubitum prominuerint : apud mulieres autem usque ad extremos pedes defluerint, manicis circa humeros strictioribus, tum vero magis magisque se dilatantibus, & circa manus omnino patulis. Materies vestium erat lana, linum, quandoque gossypium, sæpe etiam byssus : color albus, vel purpureus, vel violaceus : primus tamen reliquis frequentior, utpote quem ipsa materiæ vestium natura dedit. Forma vix unquam mutationem subiit, sed eadem servabatur : plura tamen vestimenta semper parata habebant, quæ alternis vicibus induerunt. Ita Naamus Regis sui nomine tanquam donum obtulit Eliseo *decem mutatoria vestium*, id est, decem tunicas cum totidem palliis. Summam quippe curam & pompam Veteres in eo posuerunt, ut sæpius vestes mutarent, easque servarent quam possent mundissimas. Ut vero singulatim aliquid de hac re dicamus, Hebræorum vestes toga & pallium fuere. Prior erat admodum larga, ut laboribus perpetuo intenti eo agiliores ad motum membrorum essent : dormi eam laxantes aeri perviam reliquerunt : at in itinere vel ruri cingulo constrinxere, ne impedimento foret : *surge,*  
*suc.*

*succinge lumbos tuos.* (b) Porro cingulum varium fuit pro varietate personarum : Principes ac divites byssinis, aut opere phrygio vel auro intertexto distinctis, tenuioris autem fortunæ homines pelliceis utebantur. Interdum maxime hyemis tempore tunica alia super aliam se se induerunt. Hinc Christus discipulis, ut a superfluis abstinere assuescerent, vetuit, ne duas tunicas gestent, sed una contenti providentiæ Dei corporis sui curam committerent. (c)

Pallii vetustissimus usus erat. Filii Noe, ut patris pudori consulerent, superinjecto pallio nudatas corporis partes obvolverunt. Castissimus Joseph relicto, quo indutus erat, pallio Putiphari uxoris insidias effugit. Achias Propheta pallium humi expansum in duodecim partes scidit, designaturus defectionem decem tribuum a reliquis duabus. (d) Elisæus pallio Eliæ convoluto percutiens aquas Jordanis in duas partes fluvium divisit. (e) Materia ejus vel lana, vel pellis, aut byssus erat. David, quando Arcam Dei in urbem Solymæam solemniter

(b) *Luc.* 12.

(c) *Matth.* 10.

(d) 3. *Reg.* 11.

(e) 4. *Reg.* 2.



ni pompa transtulit, pallio byssino vestitus incedebat. (f) Mardocheus prodibat a Rege Assuero decoratus *serico pallio atque purpureo*. Ejus usus erat, ut res exigebat: nunc in hanc, nunc in illam partem verterunt: jam humeros amiciebant pallii angulis ansularum ope connexis: jam caput obnubebant: jam vinciebant ad pectus. Neque omni ornatu caruit. nam vel ut a reliquis gentibus discernerentur, vel ut ad divina mandata redderentur attenti, præcepit Hebræis Deus, (g) ut fimbrias & vittas hyacinthinas extremis pallii partibus adfutas gestarent. Quod autem viris pallium, hoc mulieribus fuit velamen, quo caput ac vultum tegere consueverant, quoties e domo in publicum prodibant. Hinc verecunda Rebecca a longe prospiciens adventantem sponsum suum Isaacum *festinavit tegere se pallio suo*. (h) Hæc foeminarum pallia seu velamina sæpe pretiosissima fuerunt, ita ut luxum hunc non semel S. Scriptura reprehendat.

An vero Hebræi nudo capite vel tecto incederent, non conveniunt scriptores.

Qui.

(f) 1. Paralip. 15. (g) Numer. 15.

(h) Genes. 24.

Quidam cum Fleyrio contendunt, usos fuisse pileo rotundo superius eminente more Persarum & Chaldæorum. Nam caput nudare signum luctus erat. Ast alii cum Calmeto nullum capitis integumentum Hebræis permittunt Sacerdotibus exceptis; adseruntque urgente æstu vel frigore, item in luctu, & dum orationi vocabant, pallio eos caput obtegere consuevisse. Similis controversia est de calceis. Quippe nudis pedibus illos incessisse volunt nonnulli, præterquam si iter facerent. Sed verior opinio est eorum, qui calceamenta ipsos gestasse probant allatis S. Scripturæ exemplis. Moses quum rubo ardenti adpropinquaret, & Josue dum Angelum obviam habuit, calceos detrahare jussi sunt. (i) De fratre, qui sine liberis defuncti fratris uxorem ducere noluerit, Scriptura dicit: *Accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.* (k) Certius est, Hebræos & comam & barbam aluisse, quod posterius palam fit ex Legatis Davidis, quibus Rex Ammonitarum, ut contumeliam iis irrogaret, me.

(i) *Exodi 3. & Josue 5.* (k) *Deuter. 25.*

mediam secari barbam iussit, eratque his in urbe Jericho tamdiu commorandum, donec barba creverit, ne minus honorifice coram Davide Rege suo comparerent. (l) Porro lavandi corporis studiosissimi erant. Unde toties in S. Scriptura hujus rei mentio fit. Lavabant se ac pedes suos tum quando domum redibant, tum ubi mensam accedebant, tum priusquam cubitum ibant: quumque aqua cutem ac crines exsiccet, oleo vel communi vel cum aromatibus mixto se ungebant.

## XXXVI.

Præter hæc quædam circa vestes memoratu digna occurrunt in SS. Literis. De Joseph Jacobi filio, uti & de Thamar filia Davidis legitur, quod *tunicas polymitas*, id est, variis coloribus distinctas, aut opere phrygio ornatas gestarint. (m) Prophetæ ut plurimum pellitis vestibus, & similibus zonis gaudebant ad pœnitentiæ rigorem vel ipso corporis habitu palam commendandum. Ita describitur Elias: (n) *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus*. Ita de Prophetis aliisque dicatis Deo hominibus eremi  
In-

(l) 2. Reg. 10.  
2. Reg. 13.

(m) Genes. 37. &

(n) 4. Reg. 1.

incolis D. Paullus : (o) *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* Non infrequentes quoque fuerunt apud Hebræos tunicæ sine futura, seu ut Scriptura vocat *inconsutiles*, id est, textrino elaboratæ ita, ut unicus tantum hiatus ad caput inlerendum pateret. Hujus generis quædam fuere Sacerdotum, (p) & Jesu Christi Sacerdotis summi tunica. (q) Nefas autem erat commutare vestes viros inter & mulieres, præcipiente lege : *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fæminea.* (r) Mos etiam fuit Hebræorum *vestes scindere* vel ad luctum demonstrandum, sicut Jacob indicio sibi factò de filii Josephi, præ ceteris dilecti, a fera pessima devorati fato : & Heli Sacerdos ob arcam fœderis ab hostibus captam allato nuncio vestes scidit : vel ad blasphemiæ horrorem significandum, quemadmodum Caiphæ, quum Christi filium Dei se professi testimonium tanquam blasphemum ferre non posset,

sci.

(o) *Ad Hebr. II.*

(p) *Exod. 28.*

(q) *Joan. 19.*

(r) *Deuter. 22.*

*scidit vestimenta sua.* (s) Denique illud non prætereundum, fœminis apud Hebræos, uti apud alias quoque gentes, plus in corpore vestiendo ornandoque fuisse indultum. De Juditha memoratur, antequam in castra Holofernis egredere-  
tur, quod se laverit, inunxerit, crines in ordinem redegerit, lætitiæ vestes induerit, sandalia armillas, inaures, lilia & annulos. (t) Sed luxus hic adeo sequiore tempore excrevit, ut ipse Deus apud Isaiam (u) conquestus, graviterque comminatus fuerit: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & tberistra.* Ecce! integram muliebris in corpore ornando vanitatis supellectilem.

## XXXVII.

*Habitatio, Mensa.*

De habitatione, ædibus, & palatiis Hebræorum pauca exstant monumenta, quæ

(s) Marci 12. (t) Judith. C. 10. (u) C. 4.

quæ palam produci possint; si Domum Domini seu templum Solymæum, & Salomonis palatium excipias, cujus utriusque magnificentiam, ornatum & opulentiam amplissime descriptam legere est in tertio Regum libro. (x) Patriarchæ habitarunt ut plurimum in aperta regione sub tentoriis, prout pascurorum necessitas exigebat, ut numeroso gregi suo semper essent præsentis. Hinc domus eorum erant velut ambulantes, & ab uno in alium translatae locum. Commodius nepotes habitare cæperunt, ubi devictis hostibus, & depulsis veteribus incolis urbes, oppida, & prædia terræ Chananæ infederunt, in qua domos novas struebant lapidibus, quorum ingentem copiam regio illa, præsertim circa urbem Hierusalem, suppeditabat. Pulchritudinem ædium collocabant potius in symmetria, proportione, ac lapidum juncturis, quam aliis ornamentis duntaxat ad pompam facientibus. Tecta domuum plana fuerunt, ut captando aeri puriori, prospectui in campos, ac deambulationi servirent, quem locum adpellarunt *Solarium*: *Accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambulavit in solario domus suæ.* (y) Ne autem forte casus

in-

(x) C. 6. & 7.

(y) 2. Reg. II.

infelix accideret, lex iussit, ut tecta cingerentur muris veluti cancellis : *Cum ædificaveris domum novam, facies murum per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.* (z) Fenestras autem clathris munivere, quæ alicubi admodum larga esse oportuit, quum de Ochozia Rege memoret S. Scriptura, (a) quod *ceciderit præceps per cancellos canaculi sui, quod habebat in Samaria, & agrotaverit.* Porro hyemis tempore ad frigus pellen- dum non adhibebant fornaces, sed ut in calidioribus regionibus mos est, focos. Quippe Rex Joakim *sedebat in domo byemali in mense nono ( seu Novembri ) & posita erat arula coram eo plena prunis.* (b) Initio supellex domestica oppido curta fuit. Sunamitis ut Elisæum Prophetam hospitio digne exciperet, nil nisi mensam, lectum, sedile ac candelabrum parasse legitur. (c) Postmodum etiam in his apud opulentiores splendidius res agebatur. Tapetibus pavementum insternebant : lectos ad convivia eburneos, aut pretiosis peristromatis ornatos, ac odoriferis aquis adpersos adhibebant : utebantur fellis ex Arabia allatis : parietes lignis ce-

(z) Deuter. 22.

(a) 4. Reg. 1.

(b) Jerem. 36.

(c) 4. Reg. 4.

cedrinis vel cupressinis vestiebant: cœnacula etiam columnis fabrefactis sustentabant, & porticus sumtuosas, amplissimaque atria ædibus præfixerunt.

XXXVIII.

Frugalitas in cibo potuque magna fuit apud Veteres Hebræos. Recenti enim memoria tenebant triste illud edictum: *In sudore vultus tui vesceris pane.* (d) Lenticula tantopere sapuit Esau, ut pro ea natu minori fratri jura primogeniti vendere non dubitarit. Vinum res erat incognita ante diluvium, donec capit *Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.* (e) quamquam & postea vini usus fuerit admodum moderatus. Felicia reputabant tempora, ubi quivis sub ficu sua, & sub vite mensam instruere, ac cibum potumque sumere quietus ac sobrius poterat. Hinc apud Isaiam (f) Senacherib Rex Assyriorum cives Jerosolymæ dira fame pressos ad deditioem urbis adhortaturus his verbis utebatur: *Egredimini ad me, & comedite unusquisque vineam suam, & unusquisque ficum suam; & bibite unusquisque aquam cisternæ suæ, donec veniam, & tollam vos ad*  
ter-

(d) *Genes.* 3.

(e) *Genes.* 9.

(f) *C.* 36.



*terram frumenti & olei, terram panum & vinearum.* Equidem sacra Scriptura sæpe solius panis meminit: sciendum tamen eo nomine omne ciborum genus Hebræis usitatum designari. Communes cibi erant: panes, & placentæ ex filigine, hordeo, farina: lentes, pisa, fabæ: uvæ passæ, ficus, mel butyrum, lac, oleum, caro vitulina, bubula, vervecina, quemadmodum colligitur e cibariis, quæ Abigail, Misphiboseth, & Berzellai Davidi cum suis penuriam passo obtulerunt. (g) Item e mensa, qua Angelos humana sub specie hospites excepit Abrahamus. Apposuit enim illis carnem optimioris vituli, panem recentem una cum lacte ac butyro: ipse stans ministravit. Quamvis autem lautitias atque cupedias non admitteret mensa Hebræorum, tamen voraces fuisse videri potuissent, nisi corporum proceritas, stomachi robur, & laborum durities a tali vitio, aut potius vitii suspicione eos absolvisset. Multum enim comedere solebant, non tamen multa. Certe Abrahamus, de quo dixi, pro tribus Angelicis hospitibus integrum vitulum, & panem trium modiorum mensæ intulit. Dapes omnium exquisitissimæ  
ha-

(g) 1. Reg. 25. & 2. Reg. 16. & 17.

habebantur carnes hædi rite præparatæ, quales solícite coxit Rebecca Jacobo, ut jura primogeniti pro filio suo minore Jacob obtineret. (h) Agno seu hædo adposito secundum legem celebrabatur Paschale convivium: (i) & filii prodigi frater natus minor amare conquestus esse coram Patre legitur: (k) *Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi bædum, ut cum amicis meis epularer.* Quidam tamen cibi erant vetiti Hebræis, ut sanguis suffocatorum, adeps victimarum, & caro porcina, quam legem adeo sancte servarunt, ut mortem potius eligerent, quam ad esum hujuscemodi dapis cogi se permetterent. Condimenta escarum parca fuerunt, nec exquisita: vix aliquid præter sal, mel, oleum, butyrum: aromatum nihil. Vinum multa aqua dilutum potui serviebat. Laudabatur potissimum id, quod Libanus, Chelbon, & Sorec progenuit: aliud vini genus erat e palmis expressum, nomine *Sekar*. Quod ad ritus epularum adtinet, prandii tempus consuetum fuit hora circa meridiem, qua etiam Angelos ad Abrahami ædes divertisse, ac prandium sum-

fisse

(h) *Genes.* 27.

(i) *Exodi* 12.

(k) *Luc.* 15.

fisse legimus. (l) Præter prandium cænare soliti erant. *Dicebat autem* (Christus) *& ei, qui se invitaverat: cum facis prandium, aut cænam, &c.* (m) Accessuri ad mensam prius pedes lavarunt, quod expeditissime fiebat, quum tibialibus carentes sandalia duntaxat deponere opus esset. Priscis temporibus comedebant sedentes ad mensam; tum persicis moribus per Orientem se propagantibus lectis quoque incumbentes. Si lautius, atque hospitibus invitatis frequens epulum instruebatur, Architriclinus aderat, cujus officium fuit, suas singulis convivis porciones assignare, ac vinum affundere. Civilitatis quoque leges in ordine sedendi diligenter tenuerunt: honoratissimus locus erat in capite tabulæ, utpote quem Sauli paullo post futuro Regi, triclinium ingresso Samuel obtulit. (n) Christus quoque solícite monuit: (o) *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocavit, dicens tibi: Da huic locum; & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, & cum ve-*  
ne-

(l) *Genes. 18.*(m) *Luc. 14.*(n) *1. Reg. 9.*(o) *Luc. 14.*

nerit, qui te invitavit, & dicat tibi :  
*Amice ascende superius. Tunc erit tibi  
gloria coram simul discumbentibus.* Cæ-  
terum convivia solemnia Hebræis pauca  
fuerunt. nam festiuitates suas præter alia-  
rum gentium morem celebrarunt potius  
sacrificiis & victimis oblatiis, quam pu-  
blicis epulis. Equidem Abraham eo, quo  
filius Isaac ab ubere lacteque matris re-  
motus fuit, die fecit grande convivium.  
(p) Dum nuptias iniret Samson, Parens  
*fecit filio suo convivium.* Sic enim Ju-  
venes facere consueverunt, quod septem  
diebus fuerat continuatum. (q) Quan-  
do oves tondebantur, patrio more fecit  
*Absolon convivium, quasi convivium Re-  
gis.* (r) Salomon quoque in adventu  
Sabæ convivium splendidum instruxit, in  
quo omnia vasa Regis erant aurea, &  
vasa Domus saltus Libani ex auro pu-  
rissimo. (s) Nullibi tamen vel ciborum  
copiam, vel convivantium multitudinem  
pluribus describit S. Scriptura, excepto  
Convivii a Rege extero, nempe Assuero,  
instituti ac superbissimi luxu. (t)

XXXIX.

(p) *Genes. 21.*

(q) *Judic. 14.*

(r) *2. Reg. 13.*

(s) *2. Paralp. 9.*

(t) *Esther. C. 1.*

*Nuptiæ, Divortium.*

De nuptiis Hebræorum illud inprimis memorandum venit, more receptum fuisse, ut sponsus velut pretio soluto sponsam emeret, de quo etiam, sicuti de dote ac muneribus inter virum & sponsæ parentes ac fratres antea convenit. Ita Jacob pactus est septem annorum famulatum Labano præstandum pro Rachelis conjugio. (u) Saul Davidi filiam suam in matrimonium collocavit, sed non nisi ea conditione, ut centum Philistinorum a se occisorum præputia prius exhiberet. (x) Et Sichem filius Hemor, ubi Dinam a fratribus sponsam sibi dari postulavit, his eos verbis affatus est: *Inveniam gratiam coram vobis, & quæcunque statueritis dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tradam, quod petitis: tantum date mihi puellam hanc uxorem.* (y) Confecto negotio splendide vestiebatur sponsus & sponsa, quo in ornatu eminebat corona, quam capiti impositam gestabant, vel rosis vel olivæ ramis contextam, aut omnino argenteam aureamve. De sponso dicitur: (z) *Vi-*

de.

(u) *Genes. 31.*(x) *1. Reg. 18.*(y) *Genes. 34.*(z) *Cantic. 3.*

*de te filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius. de sponsa vero: (a) Veni de Libano, veni coronaberis.* Ad augendam festivam pompam stipabant ubique neo-nuptorum latera: sponsi selectæ formæ ac florentis ætatis juvenes, sponsæ vero lectissimæ quæque puellæ, ex eadem utriusque cognatione, editis quamplurimis lætitiæ signis. Alii præsentibus myrrham & palmam manibus præferabant; nec omnis generis Musici deerant. Atque hæc festivitas septem minimum diebus tenuit, qui lautas inter epulas cognatarum familiarum exigebantur, ut patet ex nuptiis Liæ, Samsonis, & junioris Tobix. His non adstiterunt Sacerdotes in Templo, sed domi Patresfamilias, qui cum præsentibus cognatis benedicebant sponis: necdum enim ad sacramenti rationem evectum fuit connubium, sed civile duntaxat pactum erat. Formulas vero benedicendi suppeditat S. Scriptura: Fratres Rebeccæ sorori ad sponsum Isaacum migranti sic imprecebantur: *Soror nostra es; crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* (b) Ubi Booz Ruth

uxo-

(a) *Cantic. 4.*

(d) *Genes. 24.*

uxorem duxit, præsentēs novæ nuptæ festiva voce acclamarunt : *Faciet Dominus banc mulierem, quæ ingreditur in domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Israel, (perpetua scilicet filiorum serie) ut sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlebem.* (c) Nec frustra hæc vota concipiebantur, nempe ad sœcunditatem prolium e cœlo impetrandam. hæc enim summo in pretio habebatur, uti sterilitas in probro. hinc Salomon ait : *Corona senum filii & nepotes.* (d) & Psaltes regius (e) *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, & filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu.*

Quamvis autem matrimonium sancte colerent Hebræi, erat tamen divortium iis a lege permissum : *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam sœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii . . . . vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in*  
uxo-

(c) Ruth. 4.

(d) Proverb. 17.

(e) Psalm. 127.

uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino. (f) Quin & ante legem a Mose latam divortii usum fuisse, licet perquam rarum, exemplum habemus in Abrahamo, qui famulam suam Agar, conjugem inferioris ordinis, sed insolentis ingenii scœminam, & perpetuum tricarum domesticarum fomitem repudiavit, sola sibi Sara reservata, sterili quidem, sed jugi conjugalis patientissima. (g) Postea vero corruptis Hebræorum moribus magna divortii faciendi licentia invaluit, ita ut Pharisei Christum palam interrogare non erubuerint: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* (h) Visum est itaque Legislatori divino frenum injicere huic licentiæ in lege nova, in qua ad Sacramenti dignitatem matrimonium evexit. Itaque primum docuit, jam olim fuisse consilium, ut conjugium semel rite contractum nunquam dissolveretur, dicente Deo ad Adamum & Evam in paradyso: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* (i) Urgentibus autem Phari-

(f) Deuter. 24.

(g) Genes. 21.

(h) Matth. 19.

(i) Genes. 2.



risæis, atque dicentibus, quod Moses mandaverit dare libellum repudii, & dimittere uxorem, respondit: *Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non sic.* (k) Tum vero disertis verbis præcepit, ne ulla deinceps divortiiis porta pateret, excepto unico adulterii crimine, quo rite probato liceret quidem a toro secedere, non tamen ab ipso conjugio: præcepit inquam: *Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, faciet eam mæchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* (l) & alibi clarius: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (m) Atque ita magnum hoc Sacramentum, ut loquitur Apostolus (n) seu Matrimonium primævæ sanctitati suæ ac integritati fuit restitutum.

## §. VIII.

(k) *Matth. 19.*(l) *Matth. 5.*(m) *Matth. 19.*(n) *Ad Ephes. 5.*

§. VIII.

*Funera & Sepulchra  
Hebræorum.*

XL.

Quamprimum Hebræorum aliquis vita functus est, totum cubile mortui, omnisque illius supellex labem quandam contraxisse censebatur, secundum legem a Mose latam, (o) cui etiam illi erant obnoxii, qui vel cadaver, vel ossa, vel sepulchrum quoquo modo tetigerant. Omnia hæc immunda habebantur; & quidem labes ista nonnisi septem dierum intervallo expiari poterat hoc ritu: Reliquiæ cinerum, quæ de victima Feste *Expiationis* solemniter a summo Sacerdote oblata supererant, in vas aqua viva repletum injiciebantur: tum hyssopo aquis istis intincto eorum aliquis, qui maculam non contraxit, aspergebat cubile, cunctaque vasa, & quidquid immundum fuit, id quod tertio ac septimo die fieri necessum erat. Denique his peractis eadem

(o) *Numer.* 19.

dem die ultima singuli, qui cadaveris attactu polluti fuere, eorumque vestimenta balneo tingi abstergique debebant, ut ad pristinam munditiam redirent. Interea cadaver funeri ducendo aptatum fuit. Multorum corpora unguentis & aromatibus condiebantur, (quamvis vulgo receptus hic mos non videatur) ne odore tetra nares comitantium offenderent, vel ut a putredine aliquo saltem tempore servarentur. Ita Josephus Jacobi parentis sui corpus Ægyptiorum more aromatibus ungendum curavit. (p) Et in funere Christi Nicodemus *venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum.* (q) Totum postea corpus longis fasciis seu institis involutum ligabant, excepto capite, quod linteo quodam (sudarium & sindonem vocat S. Scriptura) tegebatur: *Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.* (r) & *statim prodiit, qui fuerat mortuus (Lazarus) ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* (s) Ca-  
da-

(p) *Genes. 50.*(q) *Joan. 19.*(r) *Ibid.*(s) *Joan. Cap. 11.*

davera sic parata aliquo tempore domi exposita manebant, quemadmodum contigit in Saræ uxoris Abraham funere, nonnisi post emptum prius agrum & sepulturæ locum instructum humatæ. (t) Corpus quoque Jacob Patriarchæ plurium dierum spatio, antequam in Chanaitidem transferretur, insepultum jacuit. (u) De Tabitha vero, quam *plenam operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat*, Scriptura vocat, legimus: (x) ejus corpus antea lotum in cubiculo expositum tamdiu fuisse, usque dum S. Petrus, qui tunc in Joppen morabatur, adveniens eam insigni prodigio ad vitam revocasset. Hæc inter luctui cognatorum & amicorum locus datus est, cujus tristis omnino facies erat: lacerabant suas vestes, percutiebant pectus, caput consperferunt terra vel cinere, barbam & crines radebant, sedebant humi profundomersi silentio, nec os aperuerunt, nisi ad lamenta & cantus funebres. Ejusmodi tristem scenam luctus, quali in aliis etiam gravioribus calamitatibus indul-

(t) *Genes. 23.*

(u) *Genes. 50.*

(x) *Actor. 9.*

dulgebant, depingit Jeremias: (y) *Sederunt in terra, conticuerunt senes filia Sion, consperferunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua.* Summo tamen Sacerdoti ne in obitu sanguine junctorum ejusmodi luctum instituat, vestes scindat, &c. atque reliquis Sacerdotibus, ne comam vel barbam radant, aliave doloris publica signa edant, lege prohibitum fuit. (z)

Ubi tempus adpropinquavit efferendi funeris, primi affines & cognati convenire lugubri habitu, & veste ex panno crudo sine plicis, quod *cilicium* adpellarunt, tecti incedebant sæpe nudis pedibus, ac facie velata: aliquando caput pallio involverunt, solis radios exclusuri, vel ad lacrymas tegendas: sequebantur familiares quoque, domestici, alique e populo ad augendam funebrem pompam: apud Nobiliores acciti etiam Musici, lugubre carmen instrumentis ac voce intonantes, inter quas mulieres quoque præficarum instar lamentari doctæ, uti colligitur ex historia filiæ Principis, quam Christus a mortuis suscitavit, ad cujus fu-

(y) *Thren. Cap. 2.*

(z) *Levit. 21.*

funus convenerant tibicenes & turba tumultuantium, id est, plangentium. (a) Ipsum cadaver portabatur a bajulis vel loculo inclusum, vel in feretro sublime, quod proxime sequebantur parentes, fratres, sorores, conjuges, & utriusque sexus cognatione juncti. Ita matrem ipsam filii unici defuncti funus comitatam esse legimus, (b) cui Servator occurrens dixit: *Noli flere, & loculum tangens, subsistentibus qui portaverant, mortuo imperavit: Adolescens, tibi dico surge.* Memorandum pompæ funebris typum habemus in S. Scriptura: (c) Abner, qui princeps erat exercitus Saul, ex insidiis occiso ut parentaret David, *dixit ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. Porro Rex David sequebatur feretrum. Cumque sepelisset Abner in Hebron, levavit Rex David vocem suam, & flevit super tumulum Abner: flevit autem & omnis populus. . . . Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David clara ad huc die, juravit*  
Da-

(a) Matth. 9.

(b) Luc. 7.

(c) 2. Reg. 3.

*David dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. Neque unius diei limitibus circumscribebatur luctus: plerumque septem dies infumebantur; aliquando mensis integer, uti post funus Aaronis & Moſis: quin etiam dies septuaginta, quemadmodum in funere Patriarchæ Jacob. Cætera Hebræi ut plurimum corpora suorum terræ mandarunt, nec rogo imposita cremare solebant aliarum gentium more. Quandoque tamen in funeribus illustrioribus circa corpus defuncti ponebant aromata, eaque incenderunt, sicuti de Asa Rege Judææ narratur: (d) *Sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in civitate David; posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione magna.* Neque oratio ut ita dicam, vel potius carmen funebre defuit virorum præclare meritum cineribus. Josia Rege dum in acie fortiter dimicaret, mortuo, & in mausoleum patrum suorum illato, *universus Juda & Jerusalem luxerunt eum, Jere-*  
*mias**

(d) 2. Paralip. 16.

mias maxime, cui omnes cantatores & cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in lamentationibus. (e) Existat quoque planctus Davidis in funere Saulis & Jonathæ: Saul & Jonathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores: leonibus fortiores. Filii Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in Excelsis tuis occisus est? Doleo super te frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita & ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica! (f)

## XLI.

Jam vero sepulchris nullus certus constitutus est locus. Corpora defunctorum nunc in agris, in hortis, in montibus, nunc juxta viam, aut sub arboribus terræ

(e) 2. Paralip. 35.

(f) 2. Reg. 1.



ræ mandata fuerunt. Regum sepuchra, tanquam honoratiora, plerumque in urbibus spectabantur : Alienigenæ vero, qui Jerosolymis mortui sunt, sepulturam nacti fuerunt in valle Cedron, in quo ager ille figuli erat, pro sepeliendis peregrinis comparatus pretio triginta argenteorum numorum, quos pro Servatore vendito solutos Judas ad Sacerdotes retulit. (g) Forma tumuli non eadem. Plebeis fossæ in agris parabantur : opulentiores struebant sibi cavernas in petris collium vel montium excisas, ubi una vel plures cellulæ, quas monumenta vocabant, pro pluribus e familia distinctæ patebant. Abrahamus agrum emit, in quo geminæ specus, quibus Saræ uxoris, & postmodum ipsius Abrahami, quin & Isaaci, & Jacobi corpora illata fuerunt. (h) Nicodemus Jesu Christo sepulchrum cessit, quod e petra excisum in horto suo sibi paraverat. (i) In his cavernis erat mensa ex lapide, cui cadaver imposuere : alio lapide prægrandi ostium claudebatur, qualis fuit, quem removerunt Judæi Christo jubente : La-

28.

(g) *Matth.* 27.(h) *Genes.* 23.(i) *Joan.* 19.

*zare veni foras.* (k) & quem Angeli venientibus ad monumentum Domini mulieribus revolvisse leguntur. (l) De splendore ac ornatu tumulorum, in quos Ægyptii, Græci, & Romani tot sumtus profuderunt, nil certi constat apud Hebræos. Totus forte in eo fuit, quod exteriori parte fuerint dealbati. Unde Christus Pharisæos hypocritas comparavit hujusmodi sepulchris: *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* (m) Nihilominus magna religionis pars erat apud Hebræos mortuorum sepultura, qua privari & inhumatum relinqui anathematis species quædam fuit, nec nisi ad ultimum capitis supplicium damnatorum pœna. Quare Antiochi tyranni, patriæ ac civium hostis miserum interitum, tanquam divinæ nemesis, & talionis pœnæ grande exemplum, describens Auctor historiæ Machabæorum his verbis utitur: *Et qui insepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus & insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro par-*  
*ti.*

(k) Joann. 11.

(l) Lucæ 24.

(m) Matth. 23.

*ticipans.* (n) Neque ullum majus solatium erat, quam requiescere in sepulchris Majorum. Hinc Joseph fratres suos per quidquid sanctum obtestatus est, ut Ægypto egressi suos secum cineres in terram promissam auferrent, ibique tumulo conderent. Quapropter frequentissimum illud epiphonema, elogii loco defunctis adjectum legitur in S. Scriptura: *Mortuus est, & sepultus cum patribus suis.* Claudere his juvat Antiquitatum Hebraicarum historiam, quæ simul epitomes loco rerum memorabilium Veteris testamenti in ordinem degestarum servire Lectori poterit.



TOM. XL

(n) 2. Machab. 5.

